

Biblioteca  
ASTRA, Sibiu

99  
P. C. 10  
1251  
2456

SERIA  
MIXTA  
JOCIS  
SEU  
LIBRI TRES  
EPIGRAM-  
MATUM

H. 16



Quibûs

VIENNA AUSTRIÆ  
METROPOLIS  
CONTINETUR.

AUTHORE

NICOLAO KLAUSERWIZ.

*Cum Licentia Superiorum.*

---

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Joannis Baptistæ Schilgen, Statuum  
Prov. Inf. Austr. Typogr. Anno 1737.

4049

*Reverendissimo, Prænobili,*

AC

*Clarissimo. Domino, Domino*

**J. O A N N I  
G E O R G I O  
M A Y E R,**

**SS. THEOLOGIÆ,**

Nec non J. U. Licentiato

AC

*Reverendissimi & Celsissimi*

**PRINCIPIS**

Exemptæ Ecclesiæ Passaviensis

Officialatûs

Notario emerito, ejusdémque

Consistoriali Consiliario,

**PAROCHO**

**WALDKIRCHENSI**

Dignissimo.



*Reverendissime, Prænobilis,  
ac Clarissime Domine, Fautor  
plurimum honorande!*

**A**mplissima laudum tuarum ornamenta,  
quæ ex litterario sudore cumulatissime  
messuisti, stimulo mihi erant, ut libellum  
isthunc, quanquam encomiorum tuorum  
amplitudine multò inferiorem, titulis tuis inscriberem.  
Majora quidem Tibi deberi non ignoro, quàm ut ex  
trimestri hoc labore, opere nimirum Poëtico summis  
Nominis Tui honoribus quidquam splendoris aut gloria  
afferri posse existimem; Recordaberis tamen extare non  
pauca quorundam opuscula, quæ ut dignitate sua poste-  
ritatis memoriam promerentur, ita Fautorum suorum  
Nomina non parùm illustrârunt. Sanè quod exculta  
scribendi facultate assequi non poteram, ipso materia  
delectu supplendum arbitrabar. Augustissimum itaque  
Romani Imperij Moderatorem Carolum, urbemque  
hanc Austria Principem, atque per omnem Europam  
longè celebratissimum muneris instar cape, Fautor  
Reverendissime! Litterarium hoc honoris genus  
non aversabere, qui mansuetiorum disciplinarum stu-  
diis vehementer oblectaris, non enim ignoro, Te in  
primo ætatis flore, cum artium adhuc Tyrocinia pone-  
res, herbam reliquis constanter extorsisse. Profectò

*Summa eruditio Tua plura Tibi debet, quam ut suis quibuscunque fortuna largitionibus satisfacere Tibi, tuisque promeritis possit. Nolo laudes tuas prolixius attexere, hæ enim tot, tantæque sunt, ut addi nihil posse videatur. Suffragantur mihi tot litteratorum præconia, qui Tuas animi dotes, atque incredibilem doctrinam enarrando satiari non possunt: Quin Passavium urbs Bavaris finitima Te virtutum, Sapientiæque exemplar nuncupat, ut mirum non sit, si eum Te dixerò, in quem & natura, & cæli clementia dona omnia videtur contulisse. Dicerem majora, nisi id ipsum modestia Tua vetaret. Patere itaque præsens opusculum Tuis honoribus totum attribui, illudque quocunque demum officij loco habe.*

**Magne Vir! & summas inter pars digna columnas,  
Quem celebrem Pallas, famaque docta facit.  
Hos Tibi donari, quæso, patiare libellos,  
Quos equidem possem dicere jure Tuos.  
Nam quia, cum sacram cæpi lustrare Poësim,  
Tu meus, ut possem vivere, fautor eras.  
Ad Te nunc igitur famuli rediêre libelli,  
A Te nam vires nostra Poësis habet.**

*Ita vovet*


*Severus infimus*

**Nicolaus Klausenwiz.**

**Præ-**



## Præfatio ad Lectorem.

 Pusculum istud breve quidem, sed materiæ dignitate, ut opinor, jucundissimum boni consules, Amice lector! siquidem, quod seu ingeniô, seu maturô ætatis judiciô non potui, illud favore tuo, ut suppleas, multùm confido; neque enim ut te erudiam, aut inde gloriæ quidquam mihi accederet, grata hæc Musarum otia suscepi: Placere nimirum tibi volui, tuùmque paulisper animum à negotiis hilarî isthoc libellô avocare. Habes Augustissimum Imperii caput, habes urbem Austriæ Metropolim, popularium quoque tuorum laudes arctô prorsus calamô adnexas; Dic, an gratiùs quid expectare potuisses?

Scripsi ea, quæ materiæ ordo à me desiderabat, ut faciliè intelligas, quanti illos faciam, qui jam cælum, jam terram, jam extremos orbis fines ingeniô suô mirificè disquirit, rimantur, excruciant.

Duo tamen excusabis, alterum, quòd ex meis sumptibus libellum prelo subjecerim, indignum enim fore arbitrabor, ut Scholastico huic sudori opem pecuniariam emendicarem,

rem, alterum verò, quòd frequenter notanda quædam versibus subjunxerim, id verò non aliter, quàm Tyronibus factum intelligas velim. Innocuum denique hoc opusculum opinabere, quod, sicut bonum offendit neminem, ita Spinosa aliorum dicteria vehementer averfatur, lege & fave.

*Ad Censorem.*


*Romuleos Naso narrabat carmine fastos,*

*Austriacos verò te cecinisse scio.*

*Hujus Censorem mihi gratulor ergò libelli,*

*Austriadum Naso nam mihi Censor erat.*





*Ad Zoilum.*

**Z**oile, quid reprobis laceras mea Carmina dictis,  
 Quid mea peccarunt metra, quid ore petis?  
 Ecce! tuum nostro retinetur Carmine nomen,  
 Materies versus, Zoile! prima mei.  
 Desine, vel metrum si porro carpere pergis,  
 Ipse tuum stultè carpere nomen amas.

*Ad Lectorem.*

**D**igna tuo, Lector! sunt omnia ludicra risu,  
 Grande tamen magnis pondus inesse solet.  
 Nil igitur tibi vile dabo, risu petendum,  
 Quippe locum nostro Carmine Cæsar habet.  
 Et dominatricem populi ligo versibus urbem,  
 Versibus ergò puta pondus inesse meis.

**Liber I<sup>mus</sup> Epigrammatum.**

*Qui Augustissimum Imperij Caput complectitur.*

*Ad Carolum Imperatorem invictissimum.*

**P**osteritas tot gesta canet tua, maxime Cæsar!  
 Ac immortalem te sacra fama facit.  
 Facta tuis supplex pedibus lunata potestas  
 Miratur vires, CAROLE Sexte! tuas.  
 Nullus & Austriadum confecit talia Cæsar,  
 Téque suum dignè plebs ait esse patrem.  
 Fallor, ubi posthac te *Sexti* nomine dicam;  
 Austriacos meritò *Primus* es ante Duces.

*Ad Eundem.*

Parce deum, Cæsar! te vatis lege vocari,  
 Inter enim sacrum Numina nomen habes.  
 Fulmina quippe ferunt aquilæ, telumque ministrant,  
 Es proin Austriacus Jupiter; ergò Deus.



*Ad Eundem litterarum fautorem Augustissimum.*

CAROLE ! Musarum fautor , divæque Patronus  
 Palladis , & bifidi gloria , spésque throni.  
 Fabula Musa quidem , Parnassus , Apollóque fertur ;  
 Alter Apollo mihi , Pindus & alter adest.  
 Urbs mihi Pindus erit : sed tu mihi Cæsar , Apollo ;  
 Sic mihi nunc Pindum verus Apollo colet.

*Ad Eundem.*

Parce novo dici sub Apollinis omine Cæsar !  
 Addidit hæc titulis nomina Musa tuis.  
 Austriacum quia nempe Jovem te Mundus adorat ,  
 Te poterit Phæbum Musa vocare suum.

*Ad Eundem ingentis Bibliothecæ Restauratorem  
 munificentissimum.*

Magnificas ædes librorum divite censu  
 Sumptibus ornasti CAROLE magne ! tuis.  
 Quò sua doctiloquæ posuère cubilia Musæ ,  
 Mæonidùmque chorus , Pegasidùmque thronus.  
 Hinc alij magnum te bellò , pacèque dicant ,  
 Tu mihi nunc etiam Pallade magnus eris.

*Ad Eundem Summum Justitiæ Præsidentem.*

Justitiæ tantus rigor est , ut jupiter aulam  
 Incolat ipsa Themis , CAROLE Sexte ! tuam ,  
 Cùm tua Romuleis scribentur nomina fastis ,  
 Justitiæ debes nomen habere patris.

*De Eodem viarum reparatore Augustissimo.*

Ante dabant variæ centena pericula fossæ ,  
 Offert securam nunc via cuncta viam.  
 Quid modò cunctaris , Caroli plebs numina posce ,  
 Gratia certa manet , nam parat ipse viam.

*Ad Eundem Templi Carolini adificatorem.*

Ritè Jovi medijs posuisti limen in hortis  
 Cæsar ! ubi vernas flora reponit opes.  
 Te quoque post cineres cœlesti Jupiter aula ,  
 Inter & æternas veris adoptat opes.

De eodem.

Templa novo luxu, binisque superba columnis,  
 Condidit Austriaci summa Columna soli.

De eodem.

Magnificum confurgit opus, mundoque stupendum,  
 Quale sub Hesperia vix habet orbis humo.  
 Sistit, & attonitus mira novitate viator  
 Sæpe suum longo tempore fallit iter.  
 Desine mirari molem, templique decorem;  
 Arbiter hac rerum conditur æde Deus.

De eodem.

Vota Deo reddis, magnorum maxime Cæsar!  
 Spera, nam reddet, Carole! vota deus.  
 NB. *Inscriptio Templi est illud Psalm.* vota mea reddam  
 in Conspectu &c.

*Ad eundem Virginis Deiparæ cultorem ardentissimum.*

Virginis ante sacras supplex prosterneris aras,  
 Et plùs humana quàm pietate, cales.  
 Vaticinor canam tibi, Carole Sexte! Senectam,  
 Quippe diu tantas vult Sacra Virgo preces.

*Ad eundem Palæstræ Equestris Conditorem.*

Eximium quod surgit opus, phalerisque superbit,  
 Plùs tamen à docili nobilitatur equo.  
 Hæc vicina tuam moles collidit ad aulam,  
 Ut visum recreet CAROLE Magne! tuum.  
 Jure proin doctas felix cupit Austria turmas,  
 Arte sua dociles nam quoque poscit equos.

*Ad eundem in Turciæ Confinijs fortalitorum*

*Exstructorem.*

Equid in Excidium lunæ tot Construis arces,  
 CAROLE! Cur tanta mole resurgit opus!  
 Liquisses aliis successorive struendas;  
 Nam fugit audito nomine luna tuo.

De eodem.

CAROLE! Pannonidum Sol es, radiisque Coruscans  
 Hungaricis fulges sideris instar agris!

Miratur Scythicus nova propugnacula Mavors,  
 Forsitan infidias nunc tibi luna struit?  
 Nil metuas : ubicunque suo sol lumine lustrat,  
 In tenebras migrat luna fugata suas.

*Ad eundem Turcæ Victorem.*

Barbaricum Cæsar domuisti Marte furorem,  
 Et victor Scythicos messuit ensis agros.  
 Quémque cruentatis potuisses cædere flagris,  
 Fædere dignaris Marte, sagóque reum.  
 Nil igitur superest, nisi pacis lege refracta  
 Perfidus hostiles jactet, ut antè, minas.  
 Quem priùs immerisit funesto Sanguine tellus.  
 Pontica fædisfragis unda recondet aquis.

NB. *Turcæ potestas usque ad pontum limitata est.*

*De eodem.*

Fulminis Ecquis adhuc aquilas, bellique ministros  
 Nescit, & Ætherei tela tenere Jovis?  
 Jure suis aquilam præfecerat Austria Signis,  
 Semper ut Austriaco suppetat arma Jovi.  
 Cæsus es infelix aquilinis, Turca! flagellis,  
 Fulmina quando cadent, lex tua, Túque rues.

*Ad eundem de nuperno Bello Gallico.*

Lilia purpureo nimium perfusa cruore  
 Candorem facta pace, togæque petunt.  
 Lilia canderent nunquam, nisi Maxime Cæsar!  
 Purpura Candorem nunc tua sponte daret.

## De Bello in Italia.

*Mantua ab hostibus non erat occupata.*

Sub medio risit victores Mantua cursu:  
 Mantua victori quippe manere cupit.

*De eodem.*

Multa ficus circum te, felix Mantua! crescit,  
 Nobilitatque loci condecoratque viror.  
 Non igitur miror, quòd nuper luseris hostes,  
 Hosti quippe tuo mansit opima ficus.

*De hostibus Tyrolim petentibus.*

Quid petis armigeram victrix Bellona Tyrolim,  
 Diraque fulmineo prælia Marte citas!  
 Undique terrificis est rupibus obsita tellus,  
 Non igitur frangi, frangere sola potest.

*De Copijs militaribus Caroli.*

Tot tibi belligeræ sunt, Carole Sexte! cohortes,  
 Ut vires stupeat Mundus uterque tuas.  
 Compescant igitur, Carolo qui bella minantur,  
 Carolus arma gerit, non timet ergò dolos.  
 Hostibus hinc lauri spes est facienda dolosis,  
 Mulciber incipiet cudere quando dolos.

NB. *Mulciberi est arma cudere.*

*Ad Carolum Augustissimum de bellis futuris Vaticanium.*

Austria quot CAROLOS habuit, tot summa recenset  
 Fulcra, tot Austriaci sidera magna soli.  
 Si *Magnum* memoro CAROLUM, si nomine *Quintum*,  
 Extitit armisonò Magnus uterque sagò.  
 Quot CAROLI, totidem victores: hostibus ergò  
 Semper eris victor, Carole Sexte! tuis.

*Ad Carolum cum Imperatrice Moscoviæ confederatum.*

Mars GAROLUS: meritò Bellona vocabitur illa;  
 Bellonam satiùs Mars amat ergò suam.

*De eodem.*

Fortè mihi dices: CAROLO quid fœdera profunt,  
 Austriacis nimiùm Russia distat agris.  
 Falleris: Austriacis non distat Russia terris,  
 Hæc duo regnorum Numina junxit amor.

*De eodem.*

Perpetuò nivibus Moscovia frigida candet,  
 Sed plùs Bellatrix Austria sole calet.  
 Austriaco Regina Jovi dum fœdera jungis,  
 En, calet Austriacus, Candet amórque tuus.

*De eodem Imperatore Augustissimo Artis pictoriae.  
Macerate.*

Nunc iterum turbulò Couis si surgat Apelles,  
Cæsareo plenos cernet Apelle larès.

*Ad eundem inter Diana delicias.*

Imperii cohibe, moderator maxime! curas,  
Delicijs paret sylva, nemùsque tuis.  
Hic aper illuctans, hìc cerva per avia saltans  
Te vocat in pugnam, CAROLE magne! novam.  
Jure tibi Spolium venatrix sylva ministrat;  
Est aliquid manibus cedere præda tuis.

*De eodem in Emporio Viennensi Colossi Josephini  
Conditore.*

Marmoreus duplici celebratur fonte colossus,  
Quem vaga deciduis alluit unda vadis.  
Qui transis, memora, dum marmor nobile friget,  
Ut caleat pietas plùs tua, Cæsar avet.

*De ejusdem in Numismatibus effigie.*

Mentitur regale tuam numisma figuram,  
Atque refert vultum flava moneta tuum.  
Venderis, & rursum pretiò repararis eòdem;  
Venalis nobis est tuus ergò favor.

*Carolus Rex in Hispaniam abit.*

Vix melior teneros ætas firmaverat annos,  
Imperij summum fors quoque junxit onus,  
Carolus Austriacis quando discessit ab agris,  
Multa fuit populi lachrymà facta Comes.  
Ille licèt nostris peregrinaus abiverit oris,  
Austriaea semper sub regione manet.  
Nam patrium cum lacte tener Rex suxit amorem,  
Veriùs est illic Rex, ubi semper amat.

*Barcinona Gallica obsidione premitur.*

Quis furor insolitus regem Mavorte coarctat,  
Hæcne minax CAROLO prælia Galle! paras.  
Nil aquilas metuis, quas Rex in tempore parvo

Spectabit famulas? fulmina nulla times?  
 Quando suos acuent Aquilæ vehementius ungues,  
 Hostibus ingratum semper acumen habent.

*De eodem ex Hispania reduce.*

Nunc CAROLI redocis tandem datur ora tueri,  
 Cæsarea plaudit, quisquis in urbe colit.  
 Cum CAROLO redijt Spes civibus: exterus antè  
 Quem rapuit, patrius nunc bene reddit amor.

*De eodem in Regem Hungaria coronato.*

Nunc alios lauda mihi tellus Hungara Reges,  
 Rex novus est regni Conditor iste tui.  
 Nam patriam propugnat humum, lunámque repellit,  
 Exulat Hungaricis nunc timor omnis agris.  
 Amplificat regni Confinia, claustráque ponit  
 Hostibus: Est Regni Conditor ergò tui.

*Rex coronatus nobilitatem equestri dignitate  
 insignit.*

Primus eques Latij quondam fuit inter honores,  
 Non nisi supremis gloria facta viris.  
 Vos equites fecit CAROLUS, quos sanguine claros  
 Stemata Majorum, nobilitásque facit.  
 Pergite felices, supremum culmen honoris  
 Scandite: commodius culmina scandit eques.

*Tempore coronationis Bos integer assatur.*

Plebis in illecebras verubus bos integer hæret,  
 Tostáque sont tremuli membra cruenta bovis.  
 Atque tuo jussu, summò Rex inclyte Sceptro!  
 Lautitijs populi, deliciisque patet.  
 Regia præsentés meritò convivía dicant  
 Se gustásse: fuit regius iste cibus.

*De eodem.*

Quisquis non validus satis es, gracilissime, tenérve,  
 Tutius expositum, suadeo, linque bovem.  
 Atque licet premat ægra fames, accedere noli;  
 Tergora nam certè tosta, famémque refers.

## De eodem.

Mercurius vaccam vigili vigilantior Argo  
 Abstulit, ut vatum fabula prisca docet.  
 Nunc iterum præsens. si notus prædo fuisset,  
 Pinguia gustasset fercula nemo bovis  
 Certius ille novam tentasset quærere prædam,  
 Si rapuit vaccam, diriperetque bovem.

*Ad Cæsarem Augustissimum Ducatus plurimos atque  
 Regna visitantem.*

Deseris Austriacam, Rex invictissime! sedem,  
 Atque gradum solita de statione moves.  
 Regia per terras quando duo lumina pascis,  
 Multoties recreas lumina mille simul.

*Ad eundem Regem Bohemæ coronatum.*

Cuncta suas liquit propè terra Bohemica sedes,  
 Atque coronandi Regis ad ora venit.  
 Dùmque tuo ponunt capiti, Rex Magne! Coronam,  
 Carole! gemma tibi quilibet esse cupit.  
 Desino mirari, quòd regnum fertile petras,  
 Et gemmas regio tot ferat ika novas.

*Tempore Coronationis vinum fluit.*

Largior ex dolio candensque ruberque lyæus  
 Profluit, & cerebro spicula mille parat.  
 Non abit hìc populus, donec vel gutta remansit,  
 Plebs fortasse bibax noluit esse domi.

*Monetæ sparguntur.*

Iusserat argentum spargi Clementia Regis,  
 Aurea mixta tamen sæpe moneta fuit,  
 Quisque petit memorem medio vigil agmine numum,  
 Currit & immixto fæmina multa viro.  
 Auri tanta fames erat Augustissime Cæsar!  
 Nonne fames populi te probat esse Patrem?

NB. Famelicus ad patrem confugit.

*Ad Carolum in Ducatum Styriæ abeuntem.*

Vix primum moliris iter, fortissime Cæsar!  
 Styria tecta tuo Numine digna struit.  
 Montiferas, Dux Magne! venis novus hospes ad oras,  
 Hospitium tellus debuit ergò novum.  
 NB. *Sub Adventu Casaris aula Gracij reparata est.*

*Ad eundem Gracij advenientem.*

Ingens imber erat, quando progressus in urbem  
 Cæsar es, à tumidis sat madefactus aquis.  
 Quomodo nunc dicet tot rupibus obsita tellus:  
 Asper es; à pluvia qui bene mollis eras.  
*Sub Adventu Tormenta exploduntur.*  
 Æra sonant, resonóque Ducem Mavorte salutant;  
 Agnoscunt Martem quippe venire suum.

*Pons novus trans Muram exstruitur.*

Mura ferax gemmis, & multo pisce superbis,  
 Pons novus in medijs, Ecce, struetur Aquis!  
 Gaude Mura, novo dum Cæsar ponte vehetur,  
 Nulla tuo latitat tam bona gemma sinu.  
 NB. *Mura multorum opinione gemmas & aurum parit.*  
*Pons ad aulam trans mænia struitur.*

Mænia vicinam pontem dignantur ad aulam,  
 CAROLE! sunt votis officiosa tuis.  
 Nempe viam, Dux Magne! tibi tua mænia præstant,  
 Impugnaturis hostibus ergò negant.

*Damarum venatio instituitur.*

Rupivagæ tentata stupent nova prælia damæ,  
 Plumbiferámque timent pertolerare necem.  
 Ergò veni Cæsar, stupefactas trajice damas,  
 Addisec saltus territa dama novos.

*Equus mira saltandi arte institutus offertur Casari.*

Quando capit supplex Græcensis homagia Civis,  
 Saltator CAROLUM tergore vexit equus,  
 Artificem dum miror equum, mox cogito medam:  
 Styriacos saltus hic bene calles equus,



*Ad eundem, dum in vicinia Hortum Marchionis  
Baadensis visitat.*

Quisquis adit structum tot aquarum ductibus hortum,  
Semper ab effusa fluminis arte madet.  
Sive sinistrorsum, dextrorsum sive quis ibit,  
Nulla fallaces arte cavebit aquas.  
Huc bene Cæsareas duxisti, GAROLE! nymphas,  
Artifici lympa sic bene nympa madet.  
NB. *Aulica Matrona in hoc etiam horto aderant.*

*De eodem.*

Artificem natura stupet tot fontibus hortum,  
Rarâque nimbiferas ars imitatur aquas.  
Mirificum dum Cæsar opus spectabat, & artem;  
Artifici subitus depluit imber aquâ.  
Sicque madet Cæsar, quem Mundus vincere nullo  
Marte potest; falli lætus ab arte cupit,

*De eodem horto.*

Aptius huc vinô potus, bibulusque locatur,  
Certiùs hoc madidô bis madet ille locô.

*Ad Cæsarem Augustissimum, dum Lyncij commoratur.*

Clauderis angustis hîc Cæsar mænibus, ergò  
Urbs potuit summum claudere parva caput.  
*Augustum* subito moderator maximus orbis,  
*Angustum* paulò quod fuit antè, facit.

*De eodem Lynciô per naves abeunte.*

Cæsare quisque suo dignam vult condere puppim,  
Inter & artifices lis fuit orta manus.  
Miror: nam quis opus tam firmo robore condet?  
Imperij summum portet ut illud onus,

*De eodem dum navi vehitur.*

Terrarum Dominus vehitur; sed fiet aquarum,  
Constantinopolim quando vehetur aquis.

*De eodem.*

Fortè times rapidas, quas objicit ora procellas  
GAROLE! Spumiferis cum tumet unda vadis.

*Ad eundem, dum in Italiam abiit.*

Hactenus obstupuit CAROLUM, tellusque, solúmque,  
 Nunc quoque præsentem pontica ripa tenet,  
 Dicitur à luna rabies, æstusque marinus  
 Causari, veteres quod docuère Sophi.  
 Nunc mare compescas, æstúmque refringe furentem,  
 Nam sua qui lunæ cornua frangit, adest.

*De eodem in Italia adveniente.*

O Regio felix! & Cæsare digna supremo,  
 Crescit ubi fessis plurima laurus agris!  
 Ecce, venit Cæsar Sceptro, laurisque decorus!  
 Laurigerum patrio munere cinge caput.

*De eodem qui brevi tempore in Italia mansit.*

Cæsaribus Latium sedes fuit, atque tot orbis  
 Numina Romuleas incoluère domos.  
 Est novus Italicis Sol, CAROLUS advena terris;  
 Sol transit: Spatia sic manet ergò brevi.

*Ad eundem.*

Attonitus dum cuncta vides, portúmque stupefcis  
 CAROLE! te portus jam stupet iste magis.

*Ad eundem in thermis Carolinis.*

Dicuntur varias hæc balnea ferre medelas,  
 Morsque salutiferis sæpe fugatur aquis.  
 Fecissent utinam thermæ, mortémque fugassent,  
 CAROLUS ut nostris jugiter extet agris.

*De eodem.*

Ipse venit Cæsar, Carolinæ plaudite thermæ!  
 CAROLUS in vestris Balnea captat aquis!  
 Unda tamen reliquis fuit illa beator undis,  
 Quæ lavit CAROLUM, bis Carolina fuit.

*De eodem.*

Hic populo nullas licuit concedere thermas,  
 Donec supremus Rex prius ipse bibit.  
 Nè mirare: Salus cunctorum pendet ab illo;  
 Nascitur hoc uno sospite cuncta salus.

Nil metuas hæc unda tuis quia transfugit oris,  
Esse timet domino perfidiosa suo.

*Ad eundem in Templo cum Aula Musicis.*

Ritè chorus plena resonans dat gaudia voce,  
Inter es Angelicos pectore quando chorus!

*Ad eundem Laxenburgi in delicijs vernalibus.*

Vere novo solita cedis statione relicta

Cæsar, & agrestes vis habitare domos.

Hospes ubi Dytina suos posuisse Penates

Dicitur, & Dryadum se lavat amne chorus.

Hic ubi multarum sunt agmina juncta Dearum,

Cum socia meliùs nunc colis ergò Dea.

*Ad eundem in Aula Laxenburgensi.*

Vix tibi cum vigiles Aurora reduxerat horas,

Ante Lares grato gutture cantat avis.

Hic Philomella redux luctus oblita priores

Dulcissimum docili concinit ore melos.

Vix genus alituum reperiri posse putarem,

Hic quod Cæsaream non foret ante domum.

Fors avium Regem Cantatrix turba veretur, (a)

Nam sedem volucrum Rex, ubi Cæsar habet.

(a) *Idem ac veneratur.*

*Ad eundem.*

Cum tibi delicias regalis mensa paravit,

Sumptaque sunt largis prandia lauta cibis.

Aut parat optatos famulatrix Sylva labores,

Aut avium Cæsar! te nova pugna vocat.

Ardea dum capitur, Carolino nomina signas,

Signatamque prius carpere linqvis iter.

Nam tua fama volat super æthera, jure proinde

Nomen & æthereas debet adire plagas.

*Ad eundem in Palatio suburbano in Widna.*

Quando suburbanis habitas tua limina pratis

Altior accenso Sol magis igne cremat.

Widna tamen totò non est felicior annò,

Quippe locus soles tunc habet iste duos,

*Usque ad Palatium ardent Lampades.*

Usque Suburbanam fax plurima lustrat ad Aulam,  
 Et via non pauca Lampade plena nitet.  
 Quisquis es, & nescis, cur hæc via luceat, audi:  
 Stelliferam Phæbi ducit ad usque domum.

*De hostibus Cæsaris invictissimi.*

Cur dolet extortas hostis, qui cæditur, herbas,  
 Grande sub hoc victus Cæsare nomen habet.  
 Non alit hostiles post bellum CAROLUS iras,  
 Fit Columen fractis hostibus ille suis.

NB. *Summam Cæsaris Clementiam ipsi hostes adhuc hodie experiuntur.*

*De Pace sancita.*

Hactenus obstupuit Rhenusque; Padusque tot hostes,  
 Tinctaque ferali terra cruore fuit.  
 Nunc iterum redijt Pax alma, togamque reduxit;  
 Purpura jam candet, Lilia forsân amat.

*Vota ad Augustissimum Imperatorem.*

Innumeros utinam superesses Cæsar in Annos!  
 Nestoreosque dunt sidera flexa dies!  
 Aut iterum referat lapsum tibi Jupiter ævum,  
 Aut prior inversis hora recurrat equis!  
 Qui toties geticum potuisti frangere Martem,  
 Mortis & indomitæ GAROLE! victor eris.  
 Post cineres tua fama manet, meliorque perennat  
 Gloria; sic mortis GAROLE! victor eris.

*Ad eundem.*

Fecisti faciles tibi Cæsar Maxime! parcas,  
 Qui neque tot mortis tela, nec arma times,  
 Stabit enim cuncto tua gloria major in ævo,  
 Hinc Lachesis vitæ rumpere fila nequit.

*Ad eundem.*

Elysijs dum fortè Charon te transferet agris,  
 Quomodo, tot lauris te vehet ille gravem?

*Ad eundem votum Poëte.*

Perge novis, Cæsar! semper canescere iustris,  
 Fatorumque tibi nescia vita fluat.  
 Æmula Cygneis fiant tua tempora plumis,  
 Possit ut Urbs meritò dicere: *noster olor.*  
 Vince tuos hostes, & Laurò dives abibis;  
 Fors me, cùm Laurò dives es, una manet.

*Ad eundem.*

Per stygia quando Charon Mortales transvehit umbras,  
 Vult quoque mercedem portitor iste suam,  
 Ut quidam referunt, nigram petit ille monetam,  
 Nè numis ætas possit obesse suis.  
 CAROLE! nil timeas, cùm nostras liqueris oras,  
 A te portorium non petet ille suum.  
 Tot manes stygias misisti victor ad undas,  
 Ut dives possit jam fatis esse Charon.

*Ad Imperatricem Augustissimam.*

Ore charis formosa sedet, vultuque venustas,  
 Et natura genas obstupet ipsa tuas.  
 Ipse Paris tanto daret aurea poma decori,  
 Austriacam nemo te negat esse Deam.  
 Juno Jovis Conjux priscorum voce notatur;  
 Fallimur, immutat fors nova quando vices.  
 Est Venus ELISABETH: terrestris Jupiter Aulæ  
 GAROLUS; Est Conjux nunc Jovis ergò Venus.

*Ad eandem.*

Nunc etiam metris Juno patiãre vocari,  
 Quæ mox in nostro Carmine dicta Venus,  
 Sic melius tres Aula Deas veneratur, & una  
*Trinum perfectum* sub statione tenet.  
 Filia nam Major, quia Musis inclyta, *Pallas*  
 Et *Venus* à forma dicitur esse minor.  
 Tu Juno; summam quis non mirabitur Aulam?  
 Regnat, Gaudet, Amat; Juno, Minerva, Venus.

*Ad Theresiam Archi-Ducem natu majorem.*

Te celebrem Musis, Romana voce disertam,  
 Illustrémque Sophi dogmate fama refert.  
 Prisca Sophos stupeat, demireturque vetustas;  
 Te meritò mecum plùs stupet Aula Sopham.

*Ad Archi-Ducem natu minorem.*

Vive diu felix ò grata superbia Matris!  
 Forma, decor, facies Te probat esse Deam.  
 Est Dea nempe parens, soror est Dea; juncta Deabus  
 Sidere ter fausto Par Dea vive tuis.

*De nuptijs Theresiæ Archi-Ducis cum Francisco  
 Duce Lotharingiæ.*

Abjice sanguineum Mars implacate flagellum!  
 Austriacæ nubit Filia prima domûs.  
 Hactenus horrificis turbâsti singula bellis,  
 Nunc satis: imperium nam tenet ipsa Venus.

*Ad Franciscum Ducem Lotharingiæ.*

Si, quot nactus eras, tot regno linquis alaudas,  
 Magnus alaudarum quinque ferêre pater.

*Ad eundem nuper Sponsum.*

Te gremiò Regina suò locat Austria tellus,  
 Quis nunc Austriacum te Lotharinge! neget.  
 Austria se patriam cupiet, Lotharingia dicet:  
 Sic inter binas lis erit alta plagas.

Te quondam genuit summo Lotharingia partu,  
 Austria vult magni pignoris esse Patrem.  
 Nunc ego si fatear, quænam sit patria victrix,  
 Victricem patriam nescio: vicit amor.

*De felicissimo primo partu Theresiæ Archi-Ducis  
 Austriæ.*

Formosam dederas ò Magna Theresia! prolem,  
 Est Venus in nostris altera parta plagis.  
 Austriacum paries bis Mater facta Gradivum,  
 Nam Veneri Mavors proximus esse cupit.

NB. à Marte dilectam fuisse Venerem priscorum fabulis  
 notatur.

## De Serenissimo Principe Eugenio.

*Dum vixit canitiem, pharmaca non sumpsit.*  
 Confugit ad Medicum si morbê fluctuat æger,  
 Languidus ast nuper pharmaca nulla petis.  
 Nempe timent alij mortem, vitæque rapinam;  
 Mors fera te dignum posteritate timet.

*De ejusdem Obitu.*

Straverat indomitum mors invictissima Martem,  
 Quisque fuit vinci nescius, ille cadit.  
 Fontassis vigilem mors vincere posse timebat,  
 Namque ferit noctis tempore falce Ducem.  
 Sed quia noctiferam crebro certamine Lunam  
 Vicit, & imminuit Cornua, nocte caret.

*De eodem.*

Qui nobis toties sacratam pacis olivam  
 Bellandi mira dexteritate tulit.  
 Æterna meritis cælorum pace fruatur;  
 Sit pia defuncto pax, requiesque Duci.  
 Floruit Austriacis invictus Marte sub oris,  
 Elysijs victus Morte refloret agris.

*De funere ejusdem Principis.*

Tristia magnifico celebrantur funera luxu,  
 Dignaque spectatu pompa suprema fuit.  
 Urbs quoque centenis tam nobile funus ab annis  
 Nescijt, & tremulos tale latebat avos.  
 Quisquis promeritos EXTINCTO livet honores,  
 Funere quàm Princeps dignior ille fuit.  
 NB. *Funere id est morte.*

*Ante feretrum sub funere trahebantur æra Bellica.*  
 Austriacum nunquam terrebant æra Gradivum,  
 Explosioque magis constitit ære vigil.  
 Nunc igitur mortis dira feritate peremptus  
 Bellica cum feretro DUX habet æra suo.  
 Fors quia non potuit vivus, nunc mortuus optat  
 Turcarum Saturam posse domare stygem.

*Milites Cataphracti in equo comitabantur funus.*

Hic eques inversis funus præcesserat armis,  
 Extinctum Martem dum sua turba dolet.  
 Fecerit id miles, quia trux mors omnia vertit,  
 Aut quia nunc feretrò mors fera, Mârsque jacent.

*Equus cum Thorace post feretrum secutus est.*

Hæsit equi tergò viduus sine corpore thorax,  
 Dum caruit summo Principe vector equus.  
 Dux quia purpureis est vectus ad astra quadrigis,  
 Humano caruit corpore Dux, & equus.

*Ensis jacuit supra Tumbam.*

Bminet in feretro Marti facer ensis, & armis;  
 Sic contra stygios Dux habet arma canes.

*Accensis facibus innumerabilis propè nobilium Copia sequebatur.*

Quisquis adest, nigrò cinctus sua brachia velò  
 Ad tumulum magni vult comes esse Ducis.  
 Nam face succensâ feretrum propè mille sequuntur,  
 Plurâque mæstitiæ Signa dedêre suæ.  
 Sol quia vivus erat Princeps, & amaverat ignes,  
 Ac hostes contra tot tulit ille faces.  
 Ut sine fine Duci lux luceat, atque perennet,  
 Accessit tumulum plurimus igne comes.

*Funus totus Clerus comitabatur.*

Heroémne, feròx Lachesis Dea! sternere tentas,  
 Dum genuêre Duci sæcula nulla parent!  
 Ergóne lethiferæ subdit mors omnia falci!  
 Sicne rapit dignos posteritate viros!  
 Non aliter: nunc jure Duci gens cuncta parentat,  
 Clerus & ablati Principis ora stupet.  
 Quippe Sacerdotes vivus quia semper amabat,  
 Ad tumulum comites mortuus ire cupit.

*Feretrum insolita magnitudinis erat.*

Quæso, quid attonitus feretrum miraberis ingens?  
 Exilis magnum non capit urna ducem.



*Militia explosit sclopos sepulto Principe.*

Heroem pyrio miles quoque pulvere luget,  
Dum morimur, cuncti pulvis & umbra fumus.

*De eodem funere.*

Feralem populus sublato Principe pompam  
Ut videat, tota multus ab urbe coit.

Cur ego demiror plebis tot adesse catervas,  
Ad Tumulum Patris vult comes esse sui.

NB. *Princeps erat in omnes Clementissimus.*

*In Carniolum funeris Spectatorem.*

Quæso, quid hîc Spectas alienis nate sub oris?

Fors quia Laurigerum nunc tegit urna ducem?

Jam scio: tu Lauri folium pro munere Speras,

Nam tot Laurigeras Dux habet iste comas.

NB. *Carnioli per urbem nundinantur Lauri folia.*



## Liber II<sup>us</sup> Epigrammatum.

Qui complectitur Palatia, atque nobiliora  
Viennæ ædificia.

*De Aula Cæsarea.*

**D**ivite quotquot habet Constructa Palatia luxu  
Urbs, reliquis primum præripit Aula locum.  
Dum loquor ista, mihi tu forsan, Zoile! dices.

Præ reliquis primum non habet Aula locum.

Quisquis enim sacrâ servatur Cæsaris Aulâ,

Non nisi ter felix, tæque secundus erit.

Zoile vicisti! nec plus tibi certo; secundum

Regia præ reliquis obtinet Aula locum.

*Transitus per Aulam patet omnibus.*

Pone tuos aliò, regni que per extera gressus,

Summa viam populo quælibet Aula negat.

Itur, & hac Aulæ semper Statione reditur.

Ista facit patulas omnibus Aula vias.

Et quocunque vocant sua quemque negotia, transit,  
 Justitiæ locus est, omnibus ergò patet.

*Hercules ad Aula portam.*

Brachia Cæsaream sustentant Herculis Aulam,  
 Quippe tot Herculeos continet Aula viros.

*De eodem.*

Pervigil Alcides rerum, domitorque laborum  
 Hanc humeris Aulam sustinet ipse suis,  
 Imperij summos huc lis fert cuncta labores,  
 Hinc locus Alcidis tergo jure cubat.

*De Cancellaria Aulica, ut vocant intima,*

Quando Pythagorici nescis præcepta Magistri,  
 Disce, vel hoc potius præstat abire loco.

NB. *Pythagoras docuit silentium.*

*De eadem.*

Sæpe quidem tota lotrix decurras in Aula,  
 Huc cave, nè venias garrula; cuncta silent.

*De Cancellaria Imperiali.*

Quando nequit mundus dubias componere lites,  
 Hic calamus finem, pennaque docta facit.

*De Cancellaria Celsissimi regiminis.*

Crebrius ante-fores longum stat litibus agmen,  
 Invidiisque flagrant, litigiisque calent.

*Especta modicum: nimiumque relinque calorem;*  
 Gallet, qui dirimet bella, quid ergò cales.

*De Cancellaria Bellica.*

Sæpe quòd armifono deberet fulmine Cæsar,  
 Una sagax docto fumine penna cavet.

*De eadem.*

Hic sua sunt Martis, gratæque negotia pacis,  
 Pax ibi nulla, simul Mars ubi, paxque manent.

NB. *Toto anno nulla sunt feriæ in hac Cancellaria.*

*De Horologio in Aula.*

Inde suas index ad amulum denotat horas,  
 Sicque tuis posthac machina perge rotis!

*De eadem.*

Huc age plebs: Saltus quando miraris equorum,  
Labitur assiduis saltibus illa dies.

NB. *Saltare gratum est populo.*

*De eadem.*

Præstantes dum nuper equos, artisque peritos  
Specto, placet reliquis plùs tamen unus equus.

Ex tumulo rursus si quando CALIGULA surget,

Hic Romæ fieret, quod puto, Consul equus.

NB. *Historia docet, quod Caligula equum suum Consulens  
creare Cogitaverit.*

*De Bibliotheca Casarea.*

Huc age, quisquis amas alienas visere terras,

Quisquis amas tumidi visere regna sali.

Aut si suadet amor Garamantes adire, vel Indos;

Eoique trahit magna cupido soli.

Huc age: quippe Sedens alienas ibis ia oras,

Et graderis, nulla dum statione moves.

*De eadem.*

Si tibi tantus amor cælestibus esse sub oris,

Hic Pauli raptus perlege: raptus eris.

*De eadem.*

Est hominum quoddam genus, ut si bella referri

Audiat, ardentem bella videre petat.

Sed quia tam tenero vitæ capiuntur amore,

Bellica mors illis cernere bella vetat.

Huc timidum procede genus, tot bella videbis,

Te nisi fors revocat, perlege bella, timor.

*De eadem.*

Abdomen si pingue tibi, si vastaque moles

Corporis, aut venter tædia mille parit.

Pharmaca si nunquam profunt, & obesa manebunt

Membra, dabit præsens pharmaca certa locus.

Attenuant nimias Musarum dulcia vires,

Et pinguem longa perdis ab arte cutem.

Donec mors horam de Cæsare fortè statutam  
 Expetet : aëtrices machina siste rotas.  
 Aut cursus præverte tuos , ut nesciat horam  
 Cæsaris , & summum mors malefausta diem.

*De eodem.*

Non bene laudatur , si machina seriùs horas  
 Indicat ; aut citiùs denotet illa suas.  
 O utinam fueret mensura duplicè quævis  
 Hora , trabátque suis tempora longa moris !  
 Carolus ut nostra longævus vivat in urbe ,  
 Et reliquos duplicet quælibet hora dies.

*De vigilijs in Aula.*

Rectiùs in tóta miles vigil excubat Aula ;  
 Hic Mars : progeniem Mars habet ergò suam.

*De Sacello Aulico.*

Procidit hic positò Majestas regia Sceptrò ,  
 Et Majestati servit , humique jacet.

*De eodem.*

Hic sacra prostratus sua pulvinaria Cæsar  
 Fulminei sternit Numinis ante pedes.  
 Numinis ante pedes Sceptrum , diadema , coronam  
 Ponit , & ardentes fundit ad astra preces.  
 Hic thronus , hic solium , Majestas , purpura , fastus ,  
 Subdita sunt summo regia signa Jovi.  
 Ergò dabis canam CAROLO , Deus optime ! vitam ,  
 Quippe diu servum se cupit esse tuum.

*De Palæstra equestri nuper extructa.*

Huc Cave , nè venias , quicumque perosus es artes ,  
 Te pudeat nunquam discere ; discit equus.

*De eadem.*

Advolat huc hominum genus omne , puérque , senéxque ,  
 Mistáque Palladiæ plurima turba Scholæ.  
 Quisquis es arte rudis , resonam nè tange Palæstram ,  
 Hic asinos docilis vix tolerabit equus.

*De eadem.*

Quis quis opes cumulare studes, accede : latentes  
Thesauros multo sænore semper habes.

*De eadem.*

Invenies variâ conscriptos gente l'bellos,  
Acris hic est Galli : Teutonis ille liber.  
Hæc ego sum nuper miratus in æde quietem,  
Dum Gallus nostri Teutonis hostis erat.

### De Armamentario.

Quis quis es hostis, abi; Mars inter bellica sopit  
Æra; papaveras hic trahit ille moras.  
Tu cave, nè somnum turbes, sævumque soporem;  
Fiet enim vigili mors tua Marte vigil.

*De eodem.*

Æræne sint vitæ potiùs, mortisve ministri,  
Ambigo; conservant nempe, simulque necant.

*De eodem.*

Ærugo potiùs, quàm constans conterat usus  
Arma, togam satiùs quàm fera bella precor.  
Parcite vos cives: vox est temeraria vatis,  
Hæc mala dum vobis, non nisi fausta precor.

*De eodem.*

Hactenus est variis mors ossæ picta tabellis,  
Hic mors cum socio plumbea Marte jacet.

### De colosso Mariano in foro Majori.

Aurò fulgidior Phæbo radiante colossus  
Emicat, ac oculis invida tela jacit.  
Dicitur à Phæbo verum conversus in aurum,  
Quæ tamen & vati tam pia fama placet.  
Ut scriptura refert, est Virgo Solis amictu  
Nobilis: auriferam Sol dedit ergò togam.

### De Aula Episcopali.

Pastorale pedum dum carmine metior, opto;  
Ut mensura pedum versibus apta fiat.

## De eadem.

Hic sacra Romuleo fulgescit purpura fastu,  
 Ausonios inter purpura digna Patres.  
 Cernitis instructam donis hic omnibus Aulam,  
 Solaque Romulidum nil nisi clavis abest.

## De eadem.

Præsentem coluit diversus Episcopus Aulam,  
 Est igitur variis nobilitata viris.  
 Sideris hic instar mira pietate refulsit:  
 Sæque magis populo præbuit iste facem.  
 Hic alius rursus summa bonitate regebat,  
 Quisque suis placuit civibus, alter erat.  
 Denique quot summos hæc viderat Aula Ministros,  
 Magnificæ tot erant lumina summa domûs.  
 Quæ dispersa prius miraris, cuncta sub isto  
 Aulæ supremo præside rursus habes.

## De Consistorio in Aula.

Huc agit ignifero conjux succensa furore,  
 Quando, marite! tibi iurgia sæva movet.  
 Et sine vult mensa, thalamo sine vivere: forsan  
 Quando maritali garrula fuste luit.  
 Donec longa fames, rediensque cupido furorem  
 Sopiit; ad mensam mox, thalamumque redit.

## De Xenodochio Civili.

Hæc patet à senio confectis civibus ædes,  
 Civis in hac tradat vivere quisque domo.

## De eadem.

Claudicat hic baculò manibus suffulta senectus,  
 Quippe senes rectos dedidicere gradus.

## De eadem Peregrinos per triduum suscipiente.

Ista domus triduo Peregrinos suscipit omnes,  
 Quando pius Romam cernere svadet amor.  
 Hic ego morbosos Parcarum credo timere  
 Tæla; Peregrinos nam cupit ista domus.

## De eodem in Seneculas.

Quamvis urat agros ferventi Sirius astro,  
Hic tamen ante focum garrula friget hyems.

## De eodem in morbidos.

Hætica, Cancer, Hydrops, Scorbutus, anhelitus æger,  
Plurâque sunt ista talia monstra domo.  
Hic sreat, hic tuffit, gemit ille, sed iste dolorem  
Suppressit, atque malis collachrymando filet.  
Pharmaca nil profunt, non est medicina dolori,  
Cum mala sunt longis inveterata moris.  
Quisque sua liber fieri vult tabe: quid ergo  
Horretis mortem? liberat ista malis.

## De mola in Xenodochio.

Hic mola versa boum declamat<sup>tractu</sup>, <sup>garrula</sup>  
Et frangit Cererem, Triptolemumque terit.  
Triticeas parat illa dapes, jejunaque præbet  
Fercula; datque gulæ, lautitiâsque fami.  
Sed mihi plus istis dapibus bos ipse placeret,  
Quodque molam versat, quàm mola scabra coquit.

## De eadem.

Ecce! diem totam graditur bos iste, nec unquam  
Ulterius prima de statione movet.

## De eadem.

A bobus hæc agitur mola, quid nunc gratius optas?  
Jejunas pinguis dat caro quippe dapes.

## Cerevisia hic coquitur.

Hic tibi pergratum dant hordea pingua potum,  
Diminuétque sitim flumine cocta Ceres,  
Pace mea sitiant alij eerealia posthæc  
Pocula, triticeos, hordaceosve scyphos.  
Tu mihi, cum sitiam, semper plus, Bacche! placebis,  
Sola Ceres nimium ventre latrante placet.

## De eodem, in coctores.

Este procul vinô poti, si quando coquendæ  
Cura venit Gereris, non amat illa merum.

Sobria mens petitur, nam posset obesse Lyæus.  
 Quando natant nimiò turgida membra merò.  
 Ebrietas coquitur, multòque labore paratur,  
 Sobrietas Cererem tutiùs ergò coquit.

*In vetulam.*

Hic nuper stupui jam bino lumine lippam,  
 Collaque strumofam, gibbiferamque senem.  
 Rursus Aristoteles utinam si viveret isthæc  
 Jam nova, quòd monstrum fæmina, causa foret.

*De fundatione.*

Hic nuper luscii sum captus amore puelli,  
 Huc puerum cæcus fortè locavit Amor.  
 NB. *Hic etiam proles illegitimò thoro genita educantur.*

*Juventus à ludimagistro informatur.*

Indocilem pueris prohibetur ducere somnum,  
 Discentes quando tempus, & hora volunt.  
 Sed quoniam juvenis capiebat somnia cocles,  
 Bis puer ad ferulas, tёрque vocatus abest.  
 Non meruit pænas, oeuò qui dormijt unò,  
 Plenus eram somni, parce Magister! ait.

*De eodem.*

Hic studio doctrina pari, pietasque coluntur,  
 Araque jam curas, pagina jamque facit.  
 Esse Deum patrem discet sine lege juvenus:  
 Hic alium nescit plurima turba patrem.

*De Domo Pignorum.*

In pignus thalamum nuper dat fæmina; feci,  
 Ut mihi sit lectus cimice tutus, ait.

*De eadem.*

Exiit hic vestem bibulus, pignusque reponit,  
 Possit ut ad dulces ille redire Scyphos.  
 Vaticinor bibulo, nisi pocula sveta relinquat,  
 Fortè brevì pellem perdet & ille suam.



## De eadem.

Huc gladios, vestes, tunicas, velamina, pallas  
 Paupertas dira sorte perempta locat.  
 Divitias, & opes tanto fudore paratas  
 Prædatrix subitò devorat ægra fames.

## De Domo monetaria.

Malleus hîc formam supremi Cæsaris ære  
 Fingit, & à doctis prodit imago fabris.  
 Hîc tot millenos Cæsar jam pertulit ictus,  
 Ut placeant populo Cæsaris ora suo.

## De eadem.

Fossa solò rapidis hîc ignibus æra liquefcunt.  
 Ante quod est terræ gleba, moneta modò.  
 Venditur hæc pretio majore, sed illa minore:  
 Nigricat, hæc etiam candet, & illa rubet.  
 Nullus quando tibi, dic, numus, avare placebit?  
 Sit ruber, aut candens, sit niger ille placet.

## De Academia pictoria.

Quando triftis hyems Boreali frigore sævit,  
 Hîc tamen optato germine vernat ager.

## De eadem.

Hîc vigil infudat docto coamine pictor,  
 Nudatique videt brachia tensa viri.  
 Utque suam pictor vivaciùs exprimat artem,  
 Huc vivos meritò collocat aula viros.  
 NB. Stant viri immoto, atque nudato corpore, qui se picto-  
 rum oculis exhibent.

## De eadem.

Hîc socio cum glire rapax fel mansit amicus,  
 Atque canis leporum dormiit ante pedes.

## De eadem.

Vidi nuper ego, quòd flammæ inter averni  
 Pinxerit hîc aliquis, frigeritque manus.

## De Pictoribus.

Esse Deos variis depingunt monstra figuris,  
 Semibovésque viros Semivirósque boves.  
 Cornua eonfingunt humeris, capitique Deorum,  
 Et facie formant squalidior Deas.  
 Svadeo, cum tempus superest, nunc desine pictor;  
 Monstrorum renunt Corpora ferre Dij,  
 Tot versos homines nescis in monstra Deorum  
 Irã, tot Stygios jam subiisse lacus?  
 Ní cessas pictor, (vati nam credere debes)  
 Imponent capiti cornua certa Dii.

## Ad pictores.

Dæmona fac fugias pictor; te noscere dæmon  
 Pictorémque suum forsan habere volest.  
 NB. Sape pingunt Diabolum.

## De curia Civitatis.

Hic sua perpetuæ figunt penetralia curæ,  
 Litibus & curis curia nulla vacat.  
 Huc reus, híc Judex: huc sons, híc grande tribunal,  
 Mansives potiùs si mala causa domi.

## De eadem.

Cæca quidem Themis est, sed librã ponderat æquã,  
 Nè nimiùm Themidi credito: cuncta videt,

## Cæcus in lite.

Nuper ut injustam, quã causã nescio, litem  
 Coram supremo Judice cæcus agit.  
 Subrisit Judex, dum litem pacat, & inquit:  
 Cæcus, quòd mala sit causa, videre nequit.

## Claudus in lite.

Huc etiam claudus sine litis ponderè fertur,  
 Verba movens raucò litigiosa foro.  
 Jurgia quando tamen Judex discusserat, inquit:  
 Claudicat hæc uno tam mala causa pede.

*Mutus in lite.*

Hic leges, Codex, jus, consuetudo, tabellæ,  
Plebiscita forum plus ratione movent.

Nil muti timeant, spondet bona causa favorem,  
Jus loquitur : mutis pagina verba dabit.

*De eadem.*

Provida fæmineas non audit curia lites :

Vir bone ! si fors es fæmina, vade domum.

*De domo tribunalitia.*

Per scalas est ista domus subeunda, viamque  
Fur timet : ad scalas hæc via nempe vocat.

NB. *Moytis rei in hac domo condemnantur ad patibulum.*

*De eadem.*

Ebrius hic egit nocturno tempore rixas,  
Et nihil ille Themis, Justitiámque timet.

Ac secum loquitur : Si fors Dea cæca videret,  
Nocte tamen tenebris capta videre nequit,

Interea captus culpam luit ille bacillis :

Zoile, nocte Themis, dic mihi, nõnne videt ?

NB. *Nebulones nocturni baculis aut nervo bukulo plectuntur.*

*De eadem.*

Nunc domus hæc punit, nunc est addicta favore ;  
Hos habitant Socij terror, amorque lares.

*In Conjuges litigiosos.*

Eecæ, maritali conjux jam fessa bacillò

Judicio supplex facta requirit opem.

Conqueritur fustes, & verbera mille recensens

Incipit affuetas imbre rigare genas.

Commotus lachrymis Judex de more maritum

Advocat : ille metu nil revocatus adest.

Exprobrat hunc Judex, objectat crimen, & ægros

Fustes dum longè dinumerabat, ait :

Plus nimiò mensura tibi defecit : abibis,

Horribilique dies carcere quinque lues.

Vir reddit : mensura mihi nè pristina desit,  
Duplice mensura fœmina prava luet.

*Justitia apertis oculis exhibetur in statua.*

Cæca quidem Themis est, oculis hïc cernit apertis,  
Ut possit Momos illa videre suos.

*Reus ad Numellas exponitur.*

Quando theatralis referatur visio, mille  
Hïc Spectatores unica scena facit.

*Otiosa fœmina virgis caduntur.*

Otia sæpe luit Sævis hïc fœmina virgis,  
Gignit enim centum crimina pigra quies.  
Traçtasset potius tripodem, Scopasve parasset,  
Non luèrent Scopis terga parata novis.

*Reus Capitis ad funem condemnatur, & in domum  
tribunalitiam adducitur.*

Dic ree ! quando venis, quid vult hic anhelitus æger ?  
Ecce, subest pedibus saxea scala tuis.  
Libera fors potius capies respiria, quando  
Subdetur pedibus lignea Scala tuis.

*In Eundem.*

Despicit hïc terram, petit alta, solùmque recusat,  
Aeriàmque dein vult habitare domum.  
Zoilus, en ! reddit Causam : variatio rerum  
Oblectat fures, Collaque stringit, ait.

*In eundem.*

Nuper ubi meritæ fertur sententia mortis,  
Ut laquei pœnâ, funéque prædo luat.  
Ach ! ait : ante diu si funus triste fuisset !  
Qui modò tam duras cogor obire vices.  
Quid miser inclamas, Lachesinque precando fatigas ?  
Funis, non funus, sur tibi finis erit.

*In eundem.*

Vix tibi cùm virides ætas promiserat annos.  
Aut stertendo dies, aut sine siuge trahis !

Nónne piæ toties Sprevisi iussa parentis ?  
 Dum geniô præceps in tua fata rais.  
 Te pariter nunc terra Parens, homo perditè nescit,  
 Quem non vult tellus, rectiùs aer habet.

*Ejusdem querimonia.*

Læta celebravi socialia pocula Fratrum,  
 Et periit gratô facta rapina merô.  
 Sæpe mihi nimis doluerunt guttura Baschô,  
 Nuac magis injecto guttura fune dolent.

*In alium ad funera Condemnatum.*

Moverunt toties tibi collipendia bilem,  
 Qualiacúnque forent, displicuêre tamen.  
 Nunc tibi carnificis nova collipendia fecit  
 Dexterâ, nec misero libera colla sinis.

*In alium furem avitum.*

Audierat prædo se diro fune ligandum,  
 Ast nihil horrificum palluit ille diem.  
 Clamat ovans: Signata premam vestigia patris:  
 Charus ubi pater est, Filius esse cupit.

*Pinguis & obesi prædonis querimonia.*

Sæpe mihi dixit medicus; Commotio prodest,  
 Motus enim constans est nisi vita nihil.  
 Heû! quàm longa mihi posthac commotio restat!  
 Fortè mihi fient marcida membra nimis.

*Alterius querimonia.*

Dum vixi, corvos dilexi semper: & unus,  
 Quem nidô rapui plus mihi charus erat.  
 Quando tamen carnes objeci, gutture rauco  
 Cantavit solitum deglutiendo melos.  
 Nunc iterum corvos pascò, carnesque ministro,  
 Pabula donec habet, fida volucris adest.

*In latronem condemnatum.*

Ipsa latrocinium stupuit, cædésque scelestas,  
 Et tinctas crebro sanguine sylva manus.  
 Quippe tot innocuos crudelis latro necavit,  
 Nunc quoque latronem mors latro facta negat.

*In furem condemnatum.*

Cernere quisque petit super alta sede locatum,  
 Suppliciiq; reum percita turba stupet.  
 Expecta modicum: vix unica præterit hora,  
 Altius hac iterum sede locandus eris.

NB. *In alto curru debentur ad patibulum.*

*In homicidam ad ensen Condemnatum.*

Mentiris, gladiò cum te vicisse superbis,  
 Quomodo vicisti, quando mucrone cadis?

*Querimonia litterati cujusdam ad ensen condemnati.*

Palladiis hæsi quoque pondus inutile Scamnis,

Ast illud memoro, quando Poëta fui:

Debueram colli primam producere longam,

Uno nunc ictu fit mihi prima brevis,

*Querimonia faminae ad gladium damnata, quæ partum suum jugulavit.*

En pretium Veneris! gladio submittere collum

Cogor, & extincta prole subire necem!

Quid feci demens! quò me meus abstulit error!

Scivi: quòd possit lædere colla Venus.

NB. *Cbyrurgorum testimoniò morbus veneris collo præmario nocet.*

## De Bibliotheca Windhagiana.

Quisquis frigescis, dociles intrato penates,

Inter enim Musas cura, labòrque calet,

Huc adeant factò ludòrum sine cohortes

Palladis; ad matrem nam bona turba venit.

*Ad eadem.*

Hic æstate nives media: gelidòque Decembri

Sæpius inveniet fulmina mille sopus.

## In Lectores in Bibliotheca.

*In Senem.*

Hic reliquis socius tumulo pede proximus uno

Authores tremulo perlegit ore senex.

Nescio, quid discat, sed judico, forsitan illud:  
Quonam securum tramite mortis iter.

*In Parvulum.*

Parvulus ingentem consuevit volvere librum,  
Quémque suis manibus vix tenet, ille legit.  
Rem crebrò miratus eram, sed cogito mecum,  
Fortè caput magnum parvus habere volet.

*In Gibbosum.*

Ex reliquis gibbosus erat notissimus hospes;  
Absens quando foret, vix fuit ulla dies.  
Ille tot Authorum conscripta volumina tractat,  
Ut numerum fructûs nesciat ipse sui.  
Nam nihil addiscit, sed inertes transigit horas;  
Quique rudis venit, semper ut ante redit.  
Quid caput intendis? potiùs da tergora libris,  
Sic saltem fies, si malè discis Atlas.

*In Magistrum Arithmeticæ.*

Vix ubi quarta sonat, rursus de more reditur;  
Ultimus hic quoniam terminus, omnis abit,  
Doctus Arithmeticæ pro more diutiùs hæsit,  
Qui nisi percrebrò commonefactus abit.  
Rem tamen exofus, qui curam gesserat ædis,  
Exprobat; ac irâ præcipitatus ait:  
Semper Arithmeticæ studiosus inutilis hæret;  
Fors quatuor nunquam sat numerare potest.

*In alium.*

Hic quidam petiit libros Nasonis amorum,  
At liber illicitus non datur iste legi.  
Mox ait ille, solet qui libros ferre, minister:  
Nunquam Naso tibi sed modo nasus erit,  
NB. *Nasum referre id est eludi.*

*In ruffum.*

Hac ego sum nuper ruffum meditatus in æde,  
Qui nimio studij raptus amore calet.  
Ille magis semper vires, studiùmque coegit,  
Vila sit ut doctum lambere flamma caput.

In cerebro latuisse nihil de stramine credo,  
 Conflagrasset enim, dum calor iste, caput.

*In illos, qui dormiunt in Bibliotheca.*

Hic quoque cum doctis pix semper inutilis hæret,  
 Inter & Aonios est pigra turba greges.

Incumbunt equidem foliis, sed tempore toto  
 Victa soporifero dant sua membra Deo.

Nescio, cur libris recubantes somnia captent,  
 Somnia fortassis posse docere volent.

*In illos, qui tempore hyemis propter calorem intrant.*

Horrida quando nives dat bruma, minaxque December  
 Contrahit adstrictas ore tremente manus.

En! numerosa cohors patefactam currit ad ædem,  
 Fornaci quivis proximus esse cupit.

Optatumque capit frigescens turba calorem,  
 Saltem quando nihil calluit, illa calet.

### De Universitate.

Palladios mirare greges: en, provida natos  
 Plus quam millenos unica mater habet.

*De eadem.*

Hic locus assiduis doctorum litibus ardet,  
 Doctaque dat centum jurgia cuncta dies.

Sat bene, quod nunquam clamatrix foemina discat,  
 Hoc æterna foret lotio, lisque loco.

*De eadem.*

Acriter hic Thomas nunc propugnatur Aquinas,  
 Alter Aristotelem cum ratione citat.

Author uterque gravis, gravius dissentit uterque:  
 Jam scio, quis vincat, victor uterque manet.

### De Facultate Theologica.

*De Theologia omnium Scientiarum regina.*

Quid natura stupes Septemplicis ostia Nili,

Quid vaga fulminæ tela trifulca facis?

Nil adeo magnum totus complectitur orbis,

ARS SACRA quod pretio non præit ista suo.



Hæc omnes numeros divina scientia vincit,  
 Quod tria sint unum, sola probare potest.

*De eadem.*

Tu mihi bellatrix meliori jure vocaris,  
 Hæreticis etenim Spicula mille paras.  
 Te duce quisquis erit constans certamine miles,  
 Non poterit mortis tristitia tela pati.

*De controversiis Theologia.*

Sub Styge Sulphureas defenditur urere flammæ,  
 Pars docet infernas igne cremare Specus.  
 Pars tamen oppositum sentit, graviterque repugnat,  
 Flammarumque locò tristitia mille docet.  
 Fatæque Tænariidum, mala cuncta, necémque fatetur,  
 Squalorémque Domûs, tristitiámque loci.  
 Ast qui non capitis veros ibi condier ignes,  
 Ne quoque vos capiat tam mala flamma, precor.

*In hæreticos.*

Est gravis hæreticos lis inter & orta fideles,  
 Num sit post mortem tertius ille locus.  
 Ast Romana fides *loca purgatoria* semper  
 Afferit, & multa cum ratione probat.  
 Desino mirari, quòd mendax hæresis ignes  
 Præter avernales non superesse velit.  
 Non sunt pro gravibus *loca purgatoria* noxis,  
 Hæresis hinc alibi crimina magna luit.

*In Eosdem.*

Sacramenta fides septem Romana docebit  
 Semper, & à primo tempore ritè docet.  
 Hæresis econtrà variato dogmate miscet,  
 Nunc tria, nunc etiam non nisi bina docet.  
 Nescio, quid causæ subsit: sed credo, Lutherus  
 Perdiderit libris cetera fortè suis.

*In eosdem.*

Hæreticus toto pallefcit territus ore,  
 Quando sacerdotes forsitan habere probat,

Quip-

Quippe potestatem collatam dicere nescit,  
 Unde Sacerdotum gratia facta, latet.  
 Ast aliqui latuisse fidem per Sæcula veram,  
 Lutherus donec venerit ipse, docent.  
 Miror ego, sed quæso, fides ubi vera latebat?  
 Lutheri calamô fortè retenta fuit.

*In eosdem.*

Hæresis oretenus vetat, ut confessio fiat,  
*Peccaviq;* solet dicere, parce Deus,  
 Si satis est, ô magne Deus! tibi dicere tantùm  
*Peccavi*; meritò cetera verba negat.  
 NB. *Non quilibet qui dicet: Domine, intrabit regnum  
 Cælorum.*

## De Facultate Juridica.

Jure capit magnum juris prudentia nomen,  
 Author enim Cæsar Justinianus erat.  
 Et nocet, & prodest: justos amat, odit iniquos;  
 Hinc *justis* meritò Justiniane places.

*In lividos Juris Consultorum.*

Continet innumeras juris prudentia leges,  
 Ut finem studiô vix reperire queas.  
 Est igitur vastum mare, causarûmque refertum;  
 Est mare, quod curis, quôdque labore scatet.  
 Siquis adhuc posthac te prefferit, invide! livor,  
 Omnia tam vasti tu bibe salsa maris.

*In eosdem jurisconsultorum lividos.*

*Pauper ubique jacet*: Sic mendax judicat orbis;  
 Ast quoque pauperibus jura, forûmque patent,  
 Id fuit IVONIS toties pietate probatum,  
 qui certam miseris arte ferebat opem.  
 Injusti potiùs juris præcepta sequantur,  
*Ivonis Scalas* ut reperire queant.

NB. *Scala S. Ivonis viam ad calum notant.*

*In juristam omnia negantem.*

Non miror, si vera mihi jurista negabit,  
 Jus quoniam didicit, singula *Jure* negat.

*In Studiosum Juris factum opificem,*  
*Jus Sapuit Civile prius, legesque sciebat,*  
 Nunc Jus, si quod habet, *Sorbile manè sapit.*

*In eundem Matrimonio junctum,*  
 Forsitan incipiet fructu meliore *Novellas,*  
 Quando novum pleno Codice corpus habet.

### De Facultate Medica.

Sceptra, corona, duces, claves, toga, purpura, fasces,  
 Mortis ad imperium, quid quid in orbe, migrat,  
 Ast medicina potest minitantes ludere Parcas,  
 Ultrix Parcarum sic Medicina manet.

#### *De eadem.*

Vita solet dici sulvô pretiosior aurô,  
 Nam superat cunctas vita salubris opes.  
 Quisquis es ægrotans, cùm fert medicina salutem,  
 Nonne tuis opibus plùs medicina tulit?  
 Hinc medicos odisse gravis dementia dici  
 Debet: amat medicos, vivere quisquis amat.

#### *De eadem.*

Jure diis medicos prudens Sociaverit orbis,  
 Nam reddunt vitam, diraque lethæ fugant.

#### *Ad Medicos.*

Credo, quòd insidias vobis mors undique faxit,  
 Ultiores mortis mors quia ferre nequit.

#### *Ad eosdem.*

Cùm mors dormitat, medicus quoque Somnia captat,  
 Vix ubi mors vigilat, debet is esse vigil.  
 Si vocat ægrotos mors flebilis, ille vocatur,  
 Alternasque ferunt mors, medicusque vices,  
 Sic ego vos vitæ Socios, & mortis opinor:  
 Mors Socios metuit, vitæque semper amat.

#### *In medicum auri cupidum.*

Dat Gallenus opes, dat justinianus honores  
 Propter opes medicus sæpe Spondit opem,

## De Medico Ægrotante.

Curavit toties varias medicamine tabes,  
 Jámque sua patiens factus in æde jacet.  
 Convocat híc Socios, obtestaturque medelam,  
 Atque sibi verbo supplice poscit opem.  
 Vos modò si medico forsan prodesse nequitis,  
 Non medicus: patiens nunc sibi quærit opem.  
 NB *Medice cura te ipsum.*

*Medicus jacentem in podagra salutat manibus.*

Dùm medicus dextram misero porrexerat, inquit  
 Æger: nolo manus, da mihi, quæso, pedes.

*In Hydropicum.*

Ut vinò caveat, medicus persvaserat ægro,  
 Possit enim nimius rodere membra calor.  
 Vix ubi suasor abest ad pocula confugit æger,  
 Evacuâtque suos ventre natante scyphos.  
 Ac ait: Hydropico vinum potare licebit,  
 Nam semper fieri postulo liber aquis.

*In æstuantem fibre maligna.*

Quando maligna febris ferventes incitat artus,  
 Est medicina quidem prima carere merò.  
 Ecce tamen! calidis fervescens motibus æger  
 Vite nova toties munera parta bibit.  
 Inquit enim: mihi nulla sitim levat unda, nec unquam  
 Tollit; Sed vinum dum bibo, potò satis.  
 Audiit id medicus, rabie qui percitus inquit:  
 Post tres, nî cessas, sat bibis ergò dies.

*In Melancholicum.*

Phasmata mille, Sopor tristis, constrictio circum  
 Pectora, ventriculi coctio nulla, timor.  
 Sic ait infirmus, medicasque recurrit ad artes,  
 Sed tristem timor, ars nè quoque fallat, agit.  
 Ut medicus vidit, quisnam sit morbidus, inquit:  
 Non ego, tu curas phasmata, quando times.  
 NB. *Curant Melancholici sua phasmata, id est cordi  
 habent.*

*In Doctorem qui laborat Podagra.*

Quis dolor in pedibus, cruciatus quantus, & angor!

Ac si membra mihi diriperentur, ait.

Credideram doctum quovis me jure vocari

Discentisque diu deposuisse vices.

Ast mala discipulum rursus me podagra fecit;

Impatiens cogor discere: disco pati.

## De Facultate Philosophica.

*In Platonem.*

Plato tulit miris de luna dogmata causis,

Quæ modo posteritas obstupescata legit.

Hinc homines lunæ valles habitare docebat,

Id tamen à nulla sat ratione probat.

Crediderim potius superos fecisse Platoni,

Inter lunatos ut colat ille greges.

NB. *Inter Turcas in Tartaro.*

*In eundem.*

Est implume, bipes animal pede pergere recto

Quod solet: hoc hominem dixerat esse Plato,

Fecit Aristoteles implumem corpore gallum,

Ac ait: hic hominem Conspice Plato tuum.

Hinc crocitat Platonis homo, ruriq̄ue petendus,

Est foris agricolæ tecta, larémque colens.

Nunc vice conversa supremas venit in urbes,

Et Platonis homo regia tecta colit.

NB. *Homo gallus gratus est regibus.*

*De Secta Pythagorica.*

Arcta Pythagorici docuere silentia: mirum

Nil igitur, posthac hæc schola quando filet:

NB. *Doctrina Pythagoræ exolevit.*

*De Secta Epicuri.*

Præcipit humanæ solatia plurima vitæ,

Dulcissimosque dies vult Epicurus agi.

Hæc doctrina, licet multis rationibus exul,

Nunc aliud ficto tegmine nomen habet.

Vitæque

Vitæque tam mollis nunc *vita polita* vocatur,  
 Plus sistema tuum nunc Epicure! viget.  
 Quis tot Philosophos poterit numerare per orbem?  
 Nunc Epicureus plurimus esse cupit.

## De Secta Stoica.

Stoicus afferuit; *nunquam convertere mentem*,  
 Quòdque semel fixum pectore, semper erat.  
 Quæ doctrina tamen toto ridetur ab orbe,  
 Nemoque, dum quivis Stoicus, esse cupit.  
 Nam modò constantem facit inconstantia quemvis,  
 Stoicidas igitur nil nisi mundus habet.

## Secta Peripatetica.

Scriptit ab æterno terramque polùmque stetit  
 Doctus Aristoteles, quem Schola cuncta colit.  
 Ecquis Aristotelis poterit numerare sequaces?

Mens tamen Authoris non habet ista locum.  
*Ast ego nunc contra communem dicere tento*,  
 Quando stagiræi mens placet ista ducis.

Mundus ab æterno stetit, id ratione probabo:  
 MUNDUS, qui mundum jam stetit ante, fuit.

NB. *Deus est ab æterno, qui purus, & mundus est.*

*In desides, qui brevè Philosophiæ valedicunt.*

Temnit Aristotelem quædam studiosa juvenus,  
 Vixque salutavit limina prima, redit.

Temnit Aristoteles asinino ponte ruentes,  
 Gantiùs ergò brevè grex asininus abit.

*In Philosophum, qui nomen militia dedit.*

Vos modò Spirituum, cerebrisque fatigia, Musæ  
 Este procul! rigidus Mars magis arte placet.

Jam propè futilibus studiis duo lustra removi,  
 Atque fatigatum nil nisi porto caput.

Quid malecautus ais, quò te tuus incitat error?  
 An fessum studiis displicet usque caput?

Paulatim modicè: vix sol quater aureus exit,  
 Et caput, & baculò tergora lassæ ferex.

*In eundem.*

Quid mihi Philosophum sapientem proderit esse ?

*Pauper Aristoteles cogitur ire pedes.*

Militiæ potius nomen dabo, bellæque ferrô,

Et mucrone magis, quàm ratione geram.

Vade, bonum tibi grator iter; quia nempe deinceps

Pauper Philosophus cogitur ire pedes.

*In Philosophos bibulos.*

Sunt aliqui, toto qui tractant pocula cursu,

Plûsque movent pleni, quàm bona scripta, Scyphi.

Hanc ego præ reliquis doctam volo credere turbam,

Artem quippe suis imbibit illa Scyphis,

*In eosdem.*

Fertilitas campis, fructûsque madore paratur,

Atque manet sterilis, dum caret imbre seges.

Quis mihi fructus? amat sitibundus dicere; campus

Hic disputandi quando madore caret.

*In Philosophum potatorem.*

Corpora componi nec ab igne, nec aere dicis,

Nec Terram, nec Aquam Principiare cupis.

Id satis experior; nec aquas hoc mense bibisti,

Principiat melius corpora fortè merum.

*In eundem.*

Affecta Philosophus fors iste Diogenis olim

Fiet; plena satis dolia semper amat.

NB. *Diogenes Philosophus dolium habitavit.*

*In Philosophum, qui cum cane frequentabat.*

Cum cane Philosophum doctas adiisse palæstras

Nota satis longo tempore fama refert.

Nescio, quid cause lateat, sed credo: Caninam

Addidit Sectam, Stoice! fortè tuam.

NB. *Secta Stoicorum Canina vocatur.*

*De eodem.*

En! canis ad dociles accurrit sedulus ædes,

Et domini mordax accubat ante pedes.

Dum.

Dúmque silent reliqui, pariter silet ille: tacenti  
Philosopho similem se probat iste Canis.

*In Philosophum clamosum.*

Clamat hic: in brutis formas admitto, nec ignis,  
Aut aqua principium corporis esse potest.

Primâque Materies cum sit generatio, transit,  
Compositumque vetus semper habere nequit.

Nè tua materies fortassis transeat olim  
Ad corpus vetulæ: plûs eris inde loquax.

NB. *Vetularum est semper garrire.*

*In Philosophum silentiosum.*

En, tibi Philosophum! vincet fortasse tacendo,  
Ignavis clypeus sæpe tacere fuit.

*In Philosophum inurbanum.*

Odit inurbanum quicumque tuetur, & audit;  
Non fatîs addidicit forsitan iste modus.

NB. *Inter ceteros Physica tractatus sunt modi,*

*De Rhetore quodam.*

Rhetoricæ nuper studiosum discere miror,  
In cujus facie vidimus esse cicer.

Disce tropos, mecum dicebam, disce figuras,

Disce tropos: Cicero forsitan alter eris.

*De facultate Poëtica.*

Garrula fert cunctos mentiri fama Poëtas,

Quomodo mentitur, quando Poëta Deus?

Mentiri credis si Lector amice! Poëtas,

Forfan eris quovis ipse Poëta die.

*De eadem.*

Plurima miraris per somnia dicere vates,

Desine; nam somnos mille Poësis habet.

*In Poëtam dormientem.*

Tot reliquos inter quidam de more Scholares

Ore cubans ronchos ducere mille solet.

Excipit hunc solers clamosa voce magister,

Atque suis pigrum mandat abire Schollis.



Interea somnò factus vigil iste reponit :  
Cur prohibes ; vatum somnia Pindus amat.

*In Poëtam bibulum.*

Castalia dum potat aquas de flumine vates,  
Ebria divino pectora fonte refert.  
Iste Scyphos vacuat sub primo sideris ortu,  
Ebrius est, miror si mala metra canat.

*Poësis Viennensis per scalas est adeunda.*

Hic sua per scalas cunctis adeunda Poëtis  
Est Schola ; Fors citius scandere metra notant.

*De eodem.*

Ascendendo suam piger horret adire Poësim,  
Jam scio ; Pegaseum si andere nescit equum.

*De Transmigratione animarum in Pythagoram.*

Transmigrare doces animas, variaréque sedes,  
Stultius an toto, dic, quid in orbe fuit ?  
Fors tua, Pythagora ! Sordentem quæret asellam :  
Sic cum doctrina tu ratione cares.

*In Philosophum Ventosum.*

En tibi ventosum ! tunicâ fors omnia vincit :  
Jam scio : sic ingens gloria calcar habet.

*In faminas quæ, subsistunt coram disputantibus.*

Audit, & ad doctas stat crebrò fœmina lites,  
Quid miror ; rixas fœmina semper amat.

*De fonte, qui in medio fori nuper extructus est.*

Quid mediò fons iste fori ? dic Zoile causam ;  
Qui vada dulcisono murmure garrit agens.  
Jam scio : cùm sacræ sit proximus ille poësi,  
Vatibus ille vices sic Heliconis agit.

*De horologio in Universitate.*

Machina Palladias hæc suadet adire palæstras,  
Pieriumque vocat, doctiloquumque gregem.  
Machina si quævis dociles velut ista vocaret,  
Non tot spectaret mundus ubique pigros.

*In illos, qui de campana Scholastica variè afficiuntur.*  
 Hanc amat, ac odit campanam multa juvenus,  
 Odit quando vocat, cùm valedicit amat.

*De Turri Mathematica.*

Turriculam mirâre, domus supereminet omnes,  
 Scande : potes cæli fors numerare greges.  
 NB. *Numera Stellas, si potes.*

*De Domo Universitatis.*

Philosophum capit, ecce ! bonum, clauditque pedellus,  
 Philosopho melior fortè Sophista fuit.  
 NB. *Capiunt Sophista.*

*De Carcere, quem Purgatorium vocant.*

Ritè locum tristem tua Purgatoria dicis,  
 Errores purgat, grex Studiose ! tuos.

*De carcere quem infernum vocant.*

Huc cave, nè venias quia, nulla redemptio restat,  
 Deperdes animam sub styga quando venis.  
 NB. *Rei capitis includuntur.*

*In Studiosum ob rixas nocturnas captivum.*

Egerat hic crebras nocturno tempore rixas,  
 Nunc diro clausus carcere triste gemit.  
 Ac ait : ô quantis sunt lumina mersa tenebris,  
 Hic nox atra cubat, dum foris alma dies.  
 Quid toties quereris nocturnas ferre latebras ?  
 Noxia nunc tenebras nox tibi jure facit.

*In captivum ob rixas gladiò habitas.*

Sim licèt horribili detentus carcere, saltem  
 Pars adversa meo læsa mucrone luit.  
 Desine mentiri, meritumque fatere pudorem ;  
 Nam cutis ipsa tuo læsa mucrone luit.

*In captivum ob irreverentiam in Professores.*

Fors nescit præcepta decem : quia discere quartum  
 Debet, & emeritos plus adamare Patres,

*In captivum propter debita.*

Læta frequentabat magno convivia luxu,  
 Dum pro nectareis contrahit æra Scyphis.  
 Sed quia sperabat pinguem sibi reddere pellem,  
 Nunc in pelle sua, dum caret ære, luit.

### De Templo Collegii Academici.

*In cujus summitate insignis pictura.*

Mirificas urbs tota manus, artémque stupefcit,  
 Quis fueris pictor nescio, victor erat.

*De Venerabili Societate Jesu.*

Livor edax, macièsque tuos depaverit artus,  
 Quando, quòd hìc orbis maxima fulcra, negas.  
 Luctatur virtus, certat doctrina; nec ullo  
 Arripiunt primum vindice bina locum.  
 Quid fuit ante Patres, nisi consternatio rerum?  
 Extulit hæreticum vipera multa caput.  
 Nónne Lutherus erat, mendax Calvinus, & Hussus?  
 Nónne suum virus Zwinglius omne tulit?  
 Hæc modò docta cohors exhauserat omne venenum,  
 Pallade fœcundos nam bibit illa Scyphos,

*In lividos Societatis.*

Sicne Patres etiam divexat livida tabes,  
 Unde stat optato mundus uterque gradu?  
 Jam scio, nil sacrum non rodit lingua canino  
 Dente duplex, tacitus singula livor agit.  
 Dic mihi, præcipitem quis agat te, livide, fervor!  
 Cur notet innocuos perfida lingua Patres!  
 Te docuit primo post incunabula vere  
 Aut pater, aut genitrix, aut nurus ipsa loqui.  
 Ast modò, quòd meliùs fortasse loquaris, id unum  
 Nì scelerate negas, te docuère Patres.

*Scholæ docentur à RR. Patribus.*

Huc sua Palladiæ fixère cubilia turmæ,  
 Largâque castalias unda propinat aquas.

Vos igitur doctos urbs debet dicere Patres,  
Nam paritis vestro pignora docta Sinu.

### De Basilica S. Stephani.

Exterior fuscet templum Cathedrale nigredo,  
Ut pius infideat pectore candor, adi.

*In illos, qui negotiorum causâ in templo conveniunt.*

Sicne tuas onerant consueta negotia curas,  
Ut socios sacris ædibus esse velis?

Cùm moreris, faciet tibi plura negotia dæmon,  
Cum sociis cælum vix reperire potes.

*In illos, qui vix ad ultimum sacrum comparent,  
in bibulum.*

Atria plena rosas cùm vix aurora repandit,  
Goncelebrat festos iste bibendo dies.

Ast modò potator divas ad Numinis aras,  
Ultima pars sacri cùm peragenda, venit.

Ergò nequis fatiare sitim? nisi desinis, olim  
Post vitæ stadium plùs premet ægra fames.

*In dormitorem tempore sacrorum.*

Dormi, molle scelus! dormi, quia nemo nocebit,  
Ante fores stygium eredo cubare canem.

NB. Canes sunt in Custodiam dormientium.

*In eundem.*

Quando chori fratrum, sociisque vocare solebant,  
Mox velut ex plumis igne premente salit.

Nunc tamen in seram dormitat languidus horam,  
Dum nova fulmineo vota sacrandæ Jovi.

Jam scio, cur semper sacrorum tempore stertat;  
Eliæ socius Forsitan esse cupit.

NB. Dicitur Elias usque ad Anticristi adventum dormire.

*In faminas ob contum serò venientes.*

Postquam sat tepidis fovit sua corpora plumis  
Fæmina, stertentem deserit illa thorum.

Oditúrque suos ad amússim comere crines,  
 Jámq̄ suam torquem, jámq̄ monile petit:  
 Tanta trahit sí cura comas ornare, Medusæ  
 Tu cave, nè crines post tua fata feras.

*In militem potatorem ad ultimum Sacrum  
 vacillantem.*

Ebria sat longis proflásti somnia ronchis,  
 Surgis & à vitris atque sopore vigil,  
 Nunc tandem titubans divas prorumpis ad ædes,  
 Ultima dicendum cùm monet hora sacrum,  
 Est iter angustum, cæli quod ducit ad oras,  
 Angustâ titubans vix potes ire viâ!

**NB.** *Nulla via titubantibus est ampla satís.*

*In ebrium, qui ad Sacrum comparet.*

Obliquos capit iste gradus, fors ebrius inquit:  
 Nescia turbari mens venit ante deum.

**NB.** *Ebrius quia vinò turbatus, turbari nequit precibus.*

*De Choro & Musica.*

O Deus! Ecce *fa*, *mi* tibi semper Musica clamat,  
 Suscipe tot querulos, ò Pater alme, tonos!  
 Quando *fa*, *mi* clamat, pauper vult musica panem,  
 O Deus! humanæ parcito, quæso, *fami*.

**NB.** *Fa, mi, duo toni musici per contractionem latinam  
 vocem efficiunt.*

*In garritores in Choro.*

Cantantúm vox plena sonat, resonátque, quid ergò  
 Miror, quòd crebrò garriat iste locus.

*De quatuor Organis Templi.*

Huc gibbose veni, tot habes hìc organa circùm,  
 Nam tibi deficiunt organa, quæso veni,

*De iisdem, in Musicos garrulos.*

Organa sunt quatuor doctis pulsanda magistris,  
 Sed quæ pulsantur, sunt duo, (fama Canit)  
 Fortè tonis etiam capitur deus ipse duobus:  
 Ce, de voles, quando garrulus esse soles,

NB. Ce, de sunt duo toni Musici, quæ per contractionem latinam vocem nempe, cede seu abeas, efficiunt.

## De Imagine miraculosa.

*Fluxit lacrimis ante bellum Turcicum.*

Virginis ut facies mœstis stillaverat undis,  
Orbi Christiadum fons facer esse cupit.

*Cæcis visum restituit.*

Nè metuat tenebras, quisquis te, virgo! precatur,  
Nam lucem coram te quoque cæcus habet.  
Si rapuit visum fortassis cæca cupido,  
Tot cæcis oculos da quoque, Virgo! novos.

*Claudi Sanantur.*

Da, pia virgo! pedes, dum carmen claudicat omne,  
Nam claudi toties obtinuere pedes.

*De altari, in quo Sacra non leguntur.*

Nobilis ara refert mira sub imagine Christum,  
Nulla sacerdotes hinc ubi Sacra legunt,  
Fors cum Christophoro portatrix ara quiescit;  
Absque quiete suum non feret illa deum.

*Templum quinque habet januas.*

Quinque fores habet ista domus Sacrata; memento  
Dum venis, ergo tui vulnera quinque dei.

*In illos, qui brevia sacra expectant.*

Esse pium credo currentem dicere Missam;  
Ast audire, minus jam pietatis opus.  
Fors Bacchi calices longos tractare soletis,  
Nam sacros calices vultis habere breves.

*In eosdem.*

Si longè distat nostro polus orbe; videte,  
Nè nimis ad Superos sit via vestra brevis.

*De monitore garrigentium.*

Dum garritores toties monet iste, memento;  
Pro verbis animum quòd deus ipse velit.

*In dormientem in templi.*

Linqute stertentem, nam per tot somnia forsan  
 Ille deo loquitur, cælituósve videt  
 Ecquis enim posthac tanta pietate flagrabit?  
 Nam jacet iste sacros Numinis ante pedes.

*In eundem.*

Forſitan ut Paulus, tres cælos raptus adivit,  
 Nescit enim, tota si quid agatur humo.

*In illos, qui sub elevatione uno genu flectunt.*

Nónne dedit deus ipse genu tibi flexile binum,  
 Unum Sicne deo das Scelerate genu!  
 Jam scio, quid causæ, nè par videâre; supremo  
 Quando das unum, das minùs ergò deo

*In pauperes inopportunè in templo elemosinam  
 exigentes.*

Quando piis precibus mens flagrat fervida, crebrò  
 Postulat hìc nutu supplice pauper opem.  
 Sique stipem fortasse negas, tibi stabit ad auren  
 Improbus, & numos te sine fine rogat.  
 Disce *Pater noster* meliùs, mendice! precari,  
 Pro numis panem ritè precando voles.

*In fæminas, quibus prohibitum est fluenti palla  
 adire templum.*

Fæmina cinge latus, tunicam vult nemo fluentem,  
 Cincturus lictor, nì facis, Ecce, venit,  
 NB. *Abiguntur ex templo ejusmodi mulieres,*

*In easdem.*

Nì piget, in stabulo sordentem conspice capram,  
 Quæ cute, pelle, pilis sordida tota fluit.  
 Tu quoque fortassis caprina pelle teneris,  
 Aut quæris stabulum: Sordida quippe fluis.

*De Turri S. Stephani.*

Nubivagam natura stupet molimine turrim,  
 Sidera quæ refugo vertice Summa ferit.  
 Quando condet opus nifu sublimis olim,  
 Diluvium metuet fortè Vienna novum.

*Turris tam spatiosa est, ut lusus Pyramidum in ejus  
summitate exhibeatur.*

Hic ego non ludam, ludentem territat aer,  
Sæpius infelix aere lusus erat.

*Cum in urbe noctu incendium est, ex turri lampas  
accensa exponitur.*

Hic vigil incautos attendit providus ignes,  
Quando domus flagrant, turris & ista flagrat.

*Incendia diurna indicantur exposito vexillō.*

Huc vexilla locant, cum plures flamma favillas  
Evomit, & rapido jam strepit igne domus.

Signiferos meritò vigiles hos esse putares,  
Si tamen aufertur littera prima, scies.

NE. Signiferos voco vigiles; quia vexilla exponunt, sed lit-  
teram primam auferto, & manebit ignifer.

*Campana magni ponderis à puella in turrius suble-  
vata est.*

Sublevat insignem mirando pondere molem,  
Atque tuo ponit parva puella loco.

Quando novum suspendit opus, turrisque locavit,  
Suspendit multum viribus illa gregem.

## De Epitaphiis Templi.

### *De Epitaphio Juris Consulti.*

Hic tandem meliùs, juris Consulte! sacrata

Post dictas leges mille quiescis humo.

Tot quia vicisti causas, legesque citasti,

Fortior hæc mortis lex, quia vicit, erat.

### *De Epitaphio Belli - Ducis.*

Mortis ad imperium totus migrat orbis, & ipsos

Cum mucrone rapit mors malefusta Duces.

Hic galeæ supremus honor, tot tela, tot hastæ,

Aureus umbo, sagi gloria summa jacet.

Sub pedibus tua signa jacent, fortissime Victor!

Fors quia, cum venit mors fera, stare nequis.



## De Epitaphio Episcopi.

Omnia mors rapuit sacra ; fortè reconditus urnâ  
 Maximus Antistes nil nisi *Sacra* petit. \* *id est Missas.*

## De Epitaphio Marionis Aulici.

Vult tibi perpetuos quivis fulgescere soles,  
 Propter mellifluos, perpetuòsque sales.  
 Quando sales cessant, meliores cernito soles,  
 Ut, qui candebas à sale, sole modo! \* *subintellige can-*  
*deas.*

De Campanula, quæ à secunda ad tertiam pulsatur.  
 In bibulum.

Dum campana loquax horam notat esse secundam,  
 Ad domini famulus prandia cunctus abit.  
 Jam campana sonat, bibulus tamen iste remansit,  
 Audièrit nullos ampliùs ille sonos.

## In summitate Templi aves nidificant.

Hic parit aligeras volucris numerosa cohortes,  
 Et sibi turba volans plurima tecta fruit,  
 Hac, ego non miror, quòd sit tam creber in æde  
 Angelus ; aligerum nam parit illa genus.

## De Turri versùs aulam Episcopalem, quæ in suis ruderibus relicta, &amp; vix ad dimidium exstructa est.

Stultus, & hæc turris fatò vexantur eòdem,  
 Námque petit stultus, turris & ista caput.

## Costa gigantis in Templo asservatur.

Æde Jovis summa servatur costa gigantis,  
 Bella Jovem contra fors luit iste gigas,  
 NB. *Bella in Jovem gigantes movisse refert fabula.*

Tempore obsidionis ponebatur in summitate Turris  
 luna turcarum insigne.

Parce ferox hostis ! turri stat luna bicornis,  
 Quando Viennenses obsidione premis.  
 Ecquid adhuc celebrem tam miro robore turrim  
 Æris ab accenso sæviùs igne petis ?

Parce precor, quoniam meritò tu luna vocaris,  
Si nescis turri parcere, parce tibi.

*De Cœmeterio extra Templum.*

Forſitan exultant animo meliore ſepulti,  
Per ſora cùm fertur panis in orbe Deus,  
Quando celebratur Chriſti de corpore feſtum,  
Ad tumulos fidibus Muſica læta canit,

*De eodem.*

Hic recubate pii cineres: Benedictio vobis  
Sit divina precor, ſit ſine fine quies.  
Iſta tot heroes umbrarum condidit aula,  
Fors quia vita nihil, quàm levis umbra fuit;

*Epitaphium vitrarij.*

Semper ego, vitrum nè frangam fortè, cavebam;  
Mors vitam fregit: fors fuit illa vitrum.

*De tumulo ſtulti.*

Tot niſi ſtraviſſet mors crudeliſſima ſtultos,  
Orbis ſtultorum plenus uterque foret.

*De tumulo ſcriniarij.*

Mortis erat faber iſte, piis qui manibus urnas  
Condidit; Ecce! fabrum nunc habet urna ſuum.

*De tumulo ſoſſoris tumulorum.*

Propter opes tumulos, foveâſque parare ſtudebat,  
Incidit in foveam, quam ſibi fecit inops.

*Epitaphium Cæci.*

Ductus eram baculò, ſociive reclinis adhæſi  
Tergore, dum ſcivi, quod gradiebar, iter.  
Nunc tamen inveni tumulum, baculòque carebam,  
Fors, quia nescivi, quod gradiebar, iter.

*De ſepultura Cæci.*

Migrâſti tandem tardi ſub jura Charontis,  
Pallida nunc tumulò dum tua membra locant,  
Lux aterna tibi niſi lucet, quomodò cælum  
Invenies? oculò pauper utroque cares.

## Sartoris Epitaphium.

Hoc jacet in tumulo multis venerabilis annis  
Vir pius à filo, forfice, clarus acu.

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,*  
Vix ubi mors rupit stamina, ruptus erat.

*Tempore dedicationis Ecclesiæ exponuntur vexilla, ex  
quibus nota pastorales dependent, quia Templi situm  
pascua fuisse narrant.*

Huc olim Corydon teneros eduxerat agnos;  
Pascit adhuc plures, hinc modò pastor oves.

*Fæmina Canes ex Templo expellunt.*

Eecce! canes abigit mulier, baculoque repellit,  
Mordet enim veluti fæmina cuncta canis.

*De eodem.*

Ite canes, sacræ prædatrix turba quietis!  
Turbat enim stygius sat pia corda canis.

## De Templo RR. PP. Benedictinorum.

Hic intrans domino benedic, acceptus in ista  
Æde Jovi summo, cum benedicis, eris.

Nam quia sacra domus BENEDICTUM semper honorat,  
Hinc benedicentes postulat iste locus.

*De ruderibus turrium ex obsidione Turcica.*

Ista strues quondam supremas exist ædes,  
Utraque dum turris vexit ad astra caput.

Turca caput vobis rapuit, documenta dedistis,  
Nè quoque cor Turcæ, sed caput ante demus.

## De Templo, &amp; Collegio ad S. Dorotheam.

Hic sacra virgineo stat virgo Dorothea cultu,  
Invitatque pios plena favore procos.

Ite, Viennenses! Sponsæ melioris amantes,  
Nobilis hæc certè Sponsa placere potest.

*Ad RR. D. Dominos laudatissimi hujus Collegij.*

Fulcra Viennensis vos dicere Palladis ausim,  
Quos habet in gremio Diva Minerva suo.

Iverat æquoreas Pater Augustinus ad undas,  
 Dum trini voluit mystica nôsse Dei.  
 Augustine redi! non ampliùs ibis ad æquor,  
 Hic mare doctrinæ nam reperire potes.

### De venerabili Collegio Pazmaniano.

Pergite constantis memores virtutis alumni!  
 Pergite Palladiis corda vovete choris.  
 Immortalis honor vestræ sunt præmia vitæ,  
 Immortale decus nomina vestra ferent.  
 Nam quia virtutum teritis, stadiùmque laborum,  
 Non poterit virtus vestra, labôrve mori.  
*Ad eosdem ob vestem cæruleam.*

Vos ego progenitos felicibus ominor oris,  
 Est idem vester nempe, postque color.

### De Templo RR. PP. Barnabitarum.

Judicis extremi Michael stat in æde minister;  
 Semper erit domini plena timore domus.  
 NB. S. Michael in hoc Templo colitur.

*In fastigio Templi à Michaele Angelo calcatur Lucifer.*  
 Lucifer ante fores templi calcatur; & hostis  
 Iste suos fastus, flagitiùmque luit.

Ante fores meritò calcandus Lucifer extat,  
 Hostis enim sacra non habet æde locum.

### De eodem.

Quomodò *Luciferum* calcari posse putabo?

Est mihi, qui calcat, *Lucifer* ille magis. \* *id est qui fero lucem.*

### De Templo RR. PP. Capucinatorum.

#### De aris ligneis.

Natus erat stabulò Patris suprema propago,  
 Primâque cùm vidit lumina, sprevit opes.  
 Hic mirâre patres Christi pietate sequaces,  
 Quando Jovi summo lignea cuncta struunt.  
 Fortè placet lignum, quia lignò vita pependit,  
 Et modò pendet adhuc unica nostra salus.

## De iisdem in avarum.

Aut manet ante fores, aut non accedet avarus,  
Vix puto, quòd lignum possit amare tenax.

*Templum istud, quia valde calidum, copiosè acceditur.*

Quando nives tumidum confringunt frigore pontum,  
Et parit immites barbara bruma Notos.

Hac hominum pars multa volat, quia frigida grato  
Hæc sacrata domus membra calore fovet.

Si tibi cor friget, velut antea frigidus exis,  
Mansissent potiùs frigida corda domi.

## De Cruce, ante claustrum limen.

Miror, quando crucem sub limine conspicio unam;  
Plùs quàm centenas hìc habet ordo cruces.

## De horto monasterij.

Jam scio, cur flores hortus ferat iste rubentes,  
Námque pij flores sæpe cruore natant.

NB. *Patres se crebrò cadunt flagris.*

## De sepultura Cæsarum.

Horrida Cæsareis mors sæviit ipsa coronis,  
Parcit enim nulli, quando coronis adest. *Id est finis.*

## De eadem.

Eripuit Lachesis sceptrum, capitique coronam;  
Nam decet æthereum sola corona caput.

## De Fonte in Monasterio.

Eurgitis ex immo largis fons profluit undis,  
Da panem patribus, dant tibi rursus aquas.

## De eodem.

Largifluis promanat aquis hæc unda, bibitque  
Urbs propè tota recens, quod fluit inde, vadum.

Si fueret vinò fons iste, meròque Scateret,  
Capucinus inops quilibet esse volet.

## In illos, qui hunc fontem bibunt.

Ebrius has nuper sitibundus venit ad undas,  
Fors ignem gelidis ille repressit aquis.

## In lippum.

Lippe quid huc sitiens curris, fontemque requiris?  
Cum tamen ex oculis fons fluat ipse tuis.

*In bibulum, qui tantum manus ad fontem lavat.*  
Fonte suas lavat iste manus, potumque relinquit;  
jam scio: nam vinô colla bibosa lavat.

*De Janitore, fratre laico, qui panem distribuit pauperibus.*

Vix aliquot menses vitales carpimus auras,  
Incipimus panem jam rogitare patrem.  
Iste pius crebrò panem dat frater egenis,  
Quis fratrem laicum nunc neget esse patrem?

*Pauperibus distribuitur jusculum.*

Siquid adhuc reliqui Patribus fortasse remansit,  
Omnia distribuunt, pauperibusque ferunt.  
Cum premit ægra fames, ad eodem currit egenus,  
Nam datur hic gratis Jus, \* caro, multa Ceres. \* *Id est*  
(jusculum.

Forfan apud Patres si jus \* venale daretur, \* *Id est juris*  
Vix ego juristas credo manere domi. (prudentia.

*De templo RR. PP. Augustinianorum discalceatorum.*

Quando deus Moysen prima sub lege vocavit,  
Nudipes ardentem constitit ante rubum.  
Nec prius accessus patuit, nisi calce recincta;  
Nudari voluit nam deus ipse pedes.

Cum venies istas motus pietate sub ædes,  
Hic cum Moyse tuos, quæso, recinge pedes.  
Sic fortasse Jovi, Patribus sic fortè placebis;  
Nil magis ac nudos hic amat ordo pedes.

*Templum istud est aulicum.*

Pace mea dicant hoc templum Cæsaris esse;  
Esse tamen Summi plus ego credo jovis.

*Fulmen ante aliquot annos templo irruit.*

Huc rogo, nè venias, quando pietate tepescis;  
Huc sua sunt Diyo fulmina missa jovi.

*In Templi medio Sacellum est Marianum.*

Cernitur in media structum Jovis æde sacellum,

Quo colitur Summi Mater, amorque Dei,

Virgine tu dignum medio strue corde sacellum,

Nam pia præprimis virgo sacella colit.

*Hæc defunctorum Caesarum corda asservantur.*

Quomodò cæsaribus servari corda putabo?

Cùm tamen Elysiis sint pia corda plagis.

*Monasterium est penes mænia.*

Ecce, Patres mira semper pietate refulgent,

Nocturnisque choris, horrificisque flagris.

Fors quia vicinas habitant propè mænia sedes,

Se vincendo, satis vincere cuncta sciunt.

*Hoc monasterium quondam à Patribus Augustinianis  
de larga manica colebatur.*

Hos monachi coluère lares, quos longior ætas

De larga manica nominat esse Patres.

Rursus habet domus ista sacræ pietatis amantes,

Pro manica largas plùs amat illa manus.

NB. *Sacra hæc religio ex mendicitate vivit.*

### De templo RR. PP. Minoritarum.

*Cruc miraculosa servatur, quæ super aquas Danubiâ  
natâsse dicitur.*

O divine super flumen quia, Christe! natâsti,

Nè quondam stygijs, fac, quoque mergar aquis.

*De eadem.*

Fortè stupes nequissè Crucem sub vortice mergi,

Quomodò mergetur Crux, ubi vita natat?

*De eadem.*

*Quæ narratur ad S. Stephani Basilicam ex aquis fuisse  
deportata, ubi tamen S. Crux non mansit, verùm  
miraculosè ad templum PP. Minoritarum pervenit.*

Hæc Sacra divinas Crux est delata sub ædes,

Innumero circum concomitante choro,

Rursus abhinc alias Crux cœlica venit ad aras,  
 Quò tandem mansit Crux veneranda locò;  
 Fortè locum pariter voluit Deus ipse secundum,  
 Cessit enim primò Crux pretiosa locò.  
 Dum moriar, pie Christe! locò me pone secundò,  
 Terret enim flammis tertius ille locus.

*De scala Sancta hujus templi.*

Cùm pia Sacratam conscendunt agmina Scalam,  
 Semper adit flexo poplite turba gradus.  
 Id quoque non miror, sic veriùs itur ad astra;  
 Per multos flexus est adeunda salus.

*De illo, qui piè scalas ascendit.*

Iste gradus flectit fervens pietate per omnes;  
 Lætus in extremo fine resurget humo.  
 Hic pariter flectam, meliùs quia fortè resurgam,  
 Surgere cùm lætus, flectere disco, velim.

*De eadem.*

Quisquis es in crimen proclivis, adire memento,  
 Siquis ad hos flectit, non cadit ille, gradus. \* *Id est*  
 (non peccat.)

*Ex hoc templo ad locum Calvaria extra civitatem  
 Cruces bajulantur.*

Bajulus inde crucis non rarò plurimus exit,  
 Tergaque multorum sarcina sancta premit.  
 Fortè graves noxas fato meliore piabunt,  
 Utque cruces fugiant, nunc cruce terga gravant.

*In maritum Crucis bajulum.*

Quomodò conquereris lassari terga ferendo?  
 Quando fatigatrix crux manet ipsa domi.

*In Sævum aliquem Crucis bajulum.*

Jam scio, cur tantæ molis cruce tergora preffet;  
 Aut pater, aut Christum vendidit ejus avus.  
 NB. Sævi imaginibus nundinantur.

*In Studiosum indocilem Crucis bajulum.*

Quando crucis portas asinino tergore molem,  
 Nonne gravis sipes stipite tractus erat?



*Sæpe Crucis bajuli trabunt catenas in pedibus,  
Longa catenatis pedibus per compita frident:  
Fortè catenatum grex timet iste canem.*

**NB.** *Dæmon catenatus Canis est teste Script:*

*In nudipedem cum cruce, & catenis,  
Nil timet iste lutum, varios nihil aeris æstus,  
Sed pede nudato tergora pressus abit,  
A cruce tartaridum teterrima turba fugatur,  
Ast cruce nunc Venerem certiùs iste fugat.*

**NB.** *Visi ejusmodi bajulis fugiunt fæmina.*

*Sacrilegus ex hoc templo à dæmone raptus est.  
Fulmineus Pater omne nefas sub tartara mittit,  
Ob raptus sacros hic quoque raptus erat.*

*De eodem.*

*Certiùs ille scelus nocturnis hæret in umbris,  
Ad Styga nox etenim, cùm raperetur, erat.*

*Cernitur hiatus ex raptu in pariete.*

*Terrificum quicumque vides miraris hiatum,  
Plùs stygiæ fauces, nunc ubi raptus, hiant,*

*In raptorem diabolum.*

*Mente fuit captus dæmon, cerebròque carebat,  
Qui rapuit piceæ sub stygis antra reum.*

*Nam patefecit iter natura, viàmque paravit;*

*Quærit is ancipitem, quo via nulla, viam.*

*Sat bene, quòd stygio dæmon sit captus in antro,*

*Tam fatuum meritò sæva catena ligat.*

**NB;** *Mente capti catenis ligantur.*

*De Templo Beatissimæ Virginis ad Scalas.*

*Ante tuas supplex soboles profternitur aras,*

*Ad Scalas sobolem duc, pia virgo! Sacras.*

*Ecce, cado tosies: lapsu, da virgo! resurgam,*

*Sic eris ad scalas dux mihi virgo Sacras!*

*De eodem.*

*Viderat angelicam Jacob per somnia scalam,*

*Præbuit æthereis civibus illa viam.*

O Virgo Sacrata ! Jacob tu Scala vocaris ,  
Ad superos veram da mihi , quæso ! viam.

*De Templo S. Rupertii.*

Est Jovis ex reliquis domus ista veterrima templis ,  
Priscâque structuris , ruderibusque vetus.  
Quando reus veteri jam consuetudine vivis ,  
Quomodò deponas , te docet iste locus.

*De eodem , quod sanum deorum fuisse dicitur.*

Hic quondam fufos coluerunt ære juvencos ,  
Arâque Sacrificio tincta cruore fuit.  
Multi forsan adhuc idoli numen adorant ,  
Námque graves atheos orbis uterque parit.

*De Templo RR. PP. Franciscanorum.*

Quando venis sacram cultor divinus ad ædem ,  
Quæso , prius Christi vulnera crede decem.  
Quinque gerit Christus , Franciscus quinque , quis ergò  
Vulnera nunc Christi sic neget esse decem ?

*Ingens est , & austerus Patrum Chorus.*

Ecce , patres Numen clamosa voce precantur ,  
Isthac nõnne preces audiet æde Deus ?  
Prona tuis quicunque petis Sacra Numina votis ,  
Huc adeas : surda non erit aure Deus.

*Festum , & Congregatio Boni pastoris hic celebratur.*

Pastor , ovisque simul Deus est hac æde ; vocari  
Agnum quippe Dei se quoque Pastor amat.

*De monasterio ad portam cali dicto.*

Quando fores cunctis , & cæli porta pateret ,  
Quilibet ad portam janitor esse volet.

*De Monialibus in choro latinè orantibus.*

Hic monialis ovans , quod non intelligit , orat ,  
Esse satis credit ; si capit illa Deus.  
Quando preces numen surda tibi præterit aure ,  
Non miror , nec enim quod cupis ipsa , capis.

## De Moniali nomine Angela.

Angelus haud fiet vitam cum virgo relinquet:  
*Angela* sub caelis, si bene vixit, erit.

## De Horto Principis Eugenij.

Nobilis est moles regum dignissima visu,  
 Unicus ast orbem continet iste locus.

NB. *Animalia ex omnibus quatuor mundi partibus hinc Spectanda exhibentur.*

*Ducis insigne duo leones tenent.*

Indomiti Ducis ungue tenent insigne leones,  
 Nam leo magnanimi signa leonis amat.

## De cubilibus Palatij.

*Cubile plenum speculis exhibetur.*

Si nimum tibi forma placet, faciesque coruscans  
 Aut si quando tui te superaret amor.

Has, quaeso, ne tange fores; Narcissulus alter  
 Hic fieres, toties cum tua membra vides.

NB. *Narcissus visâ forma sua praestantiâ in florem mutatus expalluit.*

*De cubiculo, cujus tabulatum valde lubricum.*

Nè cadat hinc intrans metuit. Si forsitan esses  
 Ebrius esto foris, surgere quippe voles.

Huc adeat, solitò plures qui dormit in horas,  
*Surgendi leges nam docet iste locus.*

*De eodem.*

Si petis agricolas urbanos discere mores,  
 Adduc: hinc discant flectere saepe genu.

*De cubili, ubi fama mirificè depicta ostenditur.*

Miror, adhuc mansisse tuam dux maxime! famam,  
 Nam super astra diu jam tua fama volat.

*De eodem ubi sirages turcica depicta est.*

Icon tristes adhuc turcarum sanguine fumat,  
 Fors inter cineres conditus ignis erit. \* *Ubi fumus,*  
 (*ibi ignis.*)

NB. *Eugenius ille turcarum ignis nupè à morte sublatus est.*

De cubili, ubi Adamus & Eva in statu innocentia  
depicti servantur.

Charus Adamus Evæ procerus est, dum flebile nondum  
Gustavit colubro præcipiente malum.

Huc quoties mens læta *Ducem*, requiesque vocabat,  
Ignarum thalami semper imago stupet.

NB. *Princeps sine conjugio vixit.*

## De Belluis, & animantibus Horti.

### De Leonibus.

Hortus habet meritò domitores iste leones,  
Nam domitor, summus Dux, leo semper erat.

*In custodem, qui cum leone nondum adulto  
Sapiùs ludit.*

Ludicra fert tenero custos hic bella leoni,

Fors rabiem nescit prima juvenata suam,

Ipse meos dicit custos se spernere versus,

Námque *Leoninum Carmen* habere volet.

### De Tauro Barbato.

Longior Eoo propendet barba juvenco,

Tonforum cultros forsitan ille fugit.

### De eodem.

En, tibi barbatum, visu mirabile! taurum:

Forsitan à barba stemma senile probat.

### De Struthione.

Posse suò fertur stomachò consumere ferrum

Struthio: Sic hominum vòxque, fidésque refert.

Nè subeat, cave, quæso tuos, Vulcane! caminos,

Certiùs incidem, devorat ille tuam.

Nil ferrum metuit volucris, sed diligit: artem

Hanc credam DOMINO dedidicisse suo.

NB. *Princeps à ferro & Bellis orbi est celeberrimus.*

### De cervo Indico quatuor narium.

Cùm juvenem se fingit anus, tristémque senectam

Horret, & exesas ariditate genas,

Huc rogo, nè veniat, nam fiet prodita; cervus

Fætentem quatuor naribus halat anum.

*De ave Casuario, quæ setas habet plumarum locò.*  
 Gredo, quòd hæc volucris stabulò sit adulta suinò,  
 Plumarum setas nam gerit illa loco.

*De eadem.*

Quando super nidum confedit, & ova reclusit  
 Mater, erat visò territa forsan aprò.

*De piscium cisternis artificiosè structis.*

Nè miràre, natans dum piscis saltat in altum,  
 Artifici discit quippe salire locò.

*De floribus rubicundis horti.*

Undique tot miror rubicundos crescere flores,  
 Vix natura potest tale creare decus.  
 Fama refert: flores quòd lunæ proferat humor,  
 Fecerit hos fuso luna cruore rubros.  
 NB. Lunam saepe cruentavit Eugenius.

*De arbore quæ fabas parit.*

Daphne laurus erat: turgebant fronde sorores  
 Populea, mersum cum Phaetonta dolent,  
 Fors arbor faber ista fuit (fert plura Poësis  
 Talia) Fabrorum prandia nempe parit.

*De Arbore sensitiva, quæ à solo attactu fit putrida.*

Arbor ab attactu fit putrida: fortè putrentem  
 Mortalis sentit se tetigisse manum.

*De eadem.*

Ach utnam Princeps verno tentasset in horto  
 Sæpius arboreas tangere posse comas!  
 Si toties ramos tetigisset, fortè putreret  
 Arbor, & optatos carperet ille dies.  
 Sed quia nunc obijt, par istis frondibus HEROS  
 Vixit, ab attactu qui modo tristè putret,  
 NB. Princeps apoplexiâ tactus obijt.

*De Horti Domizio, Principe Eugenio.*

Alternis requiem captat semestribus hortus,  
 Atque nives patitur, turbineúmque gelu

Ut ferat omnigenos meliori germine fœtus,  
 Quando novo luxu Chloridis aula viret,  
 Nunc quoque Dux requiem meliori sænore captat,  
 Fors quia Morte fera, Martéque fessus erat.

## De Horto Principis de Swartzenberg.

### De palatio Horti.

Cæsaream caput ista domus protendit ad Aulam:

*Mons vult Cæsareo sole nitere niger.*

NB. Principis nomen nigrum montem notat.

*De Machina aquatili, quæ igne movetur.*

Tristitia nè metuat felix incendia moles,

Quomodò comburet, si movet ignis aquas?

## De Monasterio RR. PP. Paulanorum.

*Hac religio nunquam carne vescitur.*

Fors (*nisi*) cùm primam produxero carmine longam,

Fatiloquis dices posse licere viris.

Ast (*nisi*) nunc primam producere debeo longam,

Attonitus vatis verba, metrumque leges.

Ordo sat Austerus: sed nullo tempore carnes

*Nisi jejuna Comedit ille die.*

NB. *Nisus est quadam avium species.*

## De Monasterio FF. Misericordiæ.

Quanta sit in miseros clementia provida fratrum,

Se nisi qui nescit vivere, nescit idem.

Ut quoque præstet opem multò feliciùs ægris,

Pro miseris sanctus colligit ordo stipem.

Quilibet infirmis gaudet servire; nequiret

Quàm FRATRES natum plus adamare pater.

Omnibus officiis adsunt, curis que paternis:

Nunc igitur cunctos hic habet ordo PATRES.

*De cubili infirmorum penes portam.*

Hic rogo, nè pulsa, quæcunque negotia cogant,

Proxima quippe suos mors habet ipsa lares.

*De Sceleto in cubiculo infirmorum.*

Hic pede stat recto verissima mortis imago,  
 Corpus & est fixum nexibus omne suis.  
 Attonitæ veniunt ad corporis ossa turmæ:  
 Effigiem miror posse stupere suam.

**Dentes pauperibus gratis evellunt.***In illum, cui dens evellitur.*

Cùm facies nimium, gingivæque tota tumescit,  
 Afolet evulso cedere dente dolor.  
 Porrigit hinc patulum nunc dentibus æger hiatum,  
 Et gratam tumidis rictibus optat opem.  
 Sed quia dente prius populum dicace momordit,  
 Mordaci melior de cane fiet homo.

*In feminam, cui dens evellitur.*

Quis dolor, & quantus! cùm dens evellitur ore,  
 Qui nisi sustinuit, credere nemo volet.  
 Ast filet hæc mulier, nullósque dat ægra dolores,  
 Non etiam queritur, cùm modò dente caret,  
 Fors oblita suos est fæmina mira latratus,  
 Fæmineo quoniam garrula dente caret.

*In lotricem vetulam dentis dolore pressam.*

Dens unus superest, subito quem fæmina casu  
 Ghirurgi manibus subdere nulla timet.  
 Libera sit quamvis mulier depasta dolorum,  
 Dens tamen effæto nullus in ore sedet.  
 Dic mihi, quæso senex! quid tecum postea fiet?  
 Dum tibi portatur lotio, dente cares,  
 Non diceris equus, quia mândere fræna nequires;  
 Portatrix dici forsan afella cupis.  
 NB. *Asinabus, etiam dum effata jam sunt, ingentes sarcina imponuntur.*

*In eandem.*

Hactenus optato tractâsti pocula cursu,  
 Nunc iterum melior sors tibi facta fuit.

Plùs bibe nunc igitur, dum dens tibi nullus in ore  
 Restat, & invito menta dolore carent.

Te nunquam pudeat pro pane reposcere Bacchum,  
 Mandere cum nequeas, plùs bibis ergò senex.

*De illis, quibus maximè prohibetur, vinum tamen  
 desiderant.*

Mors vigil ante fores expectat, & ostia pulsat,  
 Hinc subito mortem, dum bibit iste vocat.

*Aquam ex herbis coctam à FRATRIBUS domum  
 aufert populus.*

Hic etiam populo sanatrix unda paratur;

Quisquis habet morbo tabida membra, petit.

Felix ordo suis, populo quas præparat, herbis,

Quos ægros nescit, sæpius arte juvat.

Sic ægrum medicus, medicum sic nesciet æger,

Jam scio; *Letheas* fors bibit æger aquas.

### De Domo pauperum.

Est dotata domus proventibus ista sat amplis,

Pauper divitias hæc habet ergò domus.

### De fundatione pro Studiosis.

*In Studiosum Poëtam.*

Mirabor, nullos si possis jungere versus,

Duræque si tardo carmine vena fluat.

Alternum carmen quoniam pede claudicat uno,

Mille tibi claudos dat domus ista pedes.

NB. *Manci, & claudi milites hanc domum incolunt.*

*In Philosophum ex ista fundatione.*

Nè doceas, quæso, vetulas, quas imbibis artes,

Authores caperet Philosophia novos.

Dum toties gyrat mulier potando, doceret:

Quòd se commoveat terraqua tota loco.

NB. *Docent quidam Philosophi solem stare, & terram  
 moveri.*



*In militem bellò læsum.*

Pes nimiùm dexter brevis est, longúsque sinister;  
Corripuit dextrum Mars tibi fortè pedem.

NB. *Quod breve, à Poëtis corripì dicitur.*

## De Domo Comica.

*In Simplicianum.*

Simplicianus adest, dictis, sale, voce facetus,  
Omnia sub bifida verba bilance locans.  
Nil magis ac homines temerarius ore laceffit,  
Carpit & infontem scommate sæpe gregem.  
Simplicianus adest, & lingua duplicè mordet,  
Sic mihi sis meritò Simpliciane duplex

NB. *Ultimus Versus in fine nec pnnclum, nec comma habet.*

*In eundem.*

Hic porcum toties obscæno provomit ore,  
Prandia fortè *suis* Simplicianus amat,

*De eodem.*

Cùm reliqui rident, tacet ille, salésque reponit,  
Fors propter nimios sentit amara sales.

*In eundem, dum famulum agit.*

Simplicianus agit famulum, faculáque flagranti,  
Nox quia surripuit lumina, quærit herum.  
Ast face succensa socios, quos viderat ussit,  
Jam scio, cur socios usserit, *ustus erat.*

*In eundem, dum agit famulum.*

Simplicianus herum proavorum sanguine clarum,  
Quisque fuit Comitum stemmate natus, habet.  
Quando pedes domini sequitur, mox lætior inflat;  
Fors fieri dominus Simplicianus amat.  
Quò festinat herus, sequitur pede junctus, heroque  
Se putat esse parem, námque fit ille comes.

*In eundem, dum ludimagistrum agit.*

Ecce, vices pariter susceperat ille magistri,  
Informátque rudes, discipulósque docet

*Simplicium leges* cuncti didicere scholares,  
Arte magister enim *Simplicianus* erat.

*In comicum ebrium.*

Non poterat melius faciles afferre cachinnos,  
Nam plus, quam verbis, ebrietate placet.  
Jam scio, cur titubet: vult ebrius ille videri,  
Personam toties vult variare suam.  
Absens quando fores foecundo, plene! lyæo,  
Plena satis praesens scena nec ulla foret.

*In comicum impurum.*

Quæso, quid impuris jactas nova gaudia verbis?  
Desine; fors quoniam tergore læva cubat.  
Aut efferre pedes non extra mænia tentes,  
Aut cave jucundos rusticitate lares.  
Vix videt obscenos Amaryllis rustica capros,  
Cornigerum stabulò claudit avara gregem.

*In cantatricem vesanam.*

Fors philomella cupit mulier cantando vocari,  
Nam veluti docilis fæmina cantat avis.  
Rarior Hesperijs non est avis ulla sub agris,  
Nam præter crines non habet illa caput.  
NB. *Faminarum scomma est longos habere crines, & care-  
re cerebrò.*

*In saltatores.*

Dic mihi: qui surges, an tunc saltare placebit?  
Præcipitem casus quando sinister aget.

*De saltatricibus.*

Absit grammaticus; si fæmina compta saliret,  
Fæminei generis crederet esse pedem.  
NB. *Pes masculini generis est apud grammaticos.*

*De Musica comicorum.*

Lætior in toto vix Musica personat orbe,  
Quando moneta simul consonat ante fores.  
NB. *Intrantes solvunt ad januam.*

*In plebem, quæ pro lusu scenico septem crucigeros solvit, cui etiam supremus locus destinatur.*

Solvistis septem : miror vos esse supremos,  
 Jam scio : plura rudis plebs numerare nequit.  
*In comicum obesum & abdominosum.*

Sæpiùs ille Deos narrat, causasque Dearum,  
 Donaque divinis sacrificata focis.

Fors etiam Cereri tot pingua dona sacra vit,  
 Nam pinguem certè fecit opima Ceres.

*Tempore quadragesimæ ludi comici prohibentur.*

Vefanos prohibet veniens quadragesima ludos,  
 Fors salpâ plenus venter abhorret eos.

Aut quia perpetuos cupiunt jejunia pisces,  
 Comicus à nimio pisce filere solet.

NB. Turba muta vocantur pisces &c.



## Liber III<sup>tus</sup> Epigrammatum.

Qui completitur memorabilia Viennæ.

Vienna semper ventosa.

**U**Ndique magnificam Boreas, Gaurusve per urbem  
 Obstrepit, & ventis vix caret ulla dies.  
 Nam thraso ventosus toties decurrit in urbe,  
 Crebriùs hinc ventos urbs parit ista novos.

### De Porta Carinthiaca.

Nolo Carinthorum Spectandus cernere portam,  
 Ad corvos patulam nolo migrare viam.  
 Malo Carinthorum grandes mihi crescere strumas,  
 Sic meliùs corvis, funeque liber ero.

*Hæc porta omnium postremò clauditur.*

Nuper ut insignem tentavit prædo rapinam,  
 Et sibi non licitas ferre cupivit opes,

Consequitur furtum : sed nox inimica resistit,  
Nulla Carinthorum dum nisi porta patet.

NB. *Fures per hanc portam ad patibulum vehuntur.*

*Sub porta vendunt farcinina.*

Quando redux Stygiis veniet Lutherus ab umbris,  
Hic iterum cupiet debitor esse novus.

*Vendunt ligulas, fila, & ténias.*

Dum raptas queritur ligulas sibi venditor, inquit;  
Majus adhuc furi porta ligamen habet.

*Vendunt nigredinem tersoriam pra calceis.*

Venalis nuper furi fuit empti nigredo,  
Fors corvo similis jam placet iste color.

*Vendunt vinum sublimatum.*

Vix dum mane videt potatrix fœmina portam,

Jam bibit, atque vitrum prodiga tractat anas.

Fortè nocet cerebro potus, fac, quæso! maritus

Nesciat, in tergo plus nocet ille tuo.

*De sculptore insignium sub hac porta.*

Divitias, & opes si forsitan iste requirit,

Hoc poterit solers sculptor habere loco,

Si quot prætereunt, tot eorum signa referret,

Hic opifex afinos vendere mille potest.

*De Aurigis extra portam,*

*Qui cujuscunque farina homines facili pretio vehunt.*

Parce tuis pedibus, cum præteris inde viator!

Nam tibi per currum dat modò grossus iter.

*In Aurigam.*

Iste manum loris, aut longo stipite munit,

Jam scio: quippe regit sic bene stipes equos.

*Auriga vehit prædonem.*

En, vehitur rapidis insignis prædo quadrigis,

Ut puto, promeritas sic videt ille rotas.

*Vehit ruffum.*

Currum claude precor; nimios sol quando calorea

Evomit, & currus, ruffus & ipse flagrat.

## De Tabernis extra portam.

*Æstatis tempore fœmina venalem lactucam parat.*

Hic tibi lactucam seniô confecta recentem,  
Atque suo fridens ore paravit anus.

Te nisi lactarit rudibus Galatea sub agris,  
Vix lactuca sapit, nam malè sordet anum.

*De taberna, in qua pastillos vendunt.*

Ecce, tenax lucri pastillos fœmina vendit,  
Hæfuros stomachô tres, quatuôrve dies.

Miror ego Regum convivium tanta parari,  
Unicus, Ecce! potest hic satiari cibus.

## De foro Institorio extra portam.

*Vulgò Tandl. Markt.*

Hic, quodcumque placet, tibi venditur: omnia vilis  
Vendere se pretiô garrula clamat anus.

Sed cave, vulpinam nè vendat fœmina pellem,  
Namque novem pelles vendere poscit anus.

*De calceis venalibus.*

Emptor i pariter venalis calceus extat,  
Quisquis emit, lucrô plus novitatis habet.

Ast fort' affe fuit sitibundo gutture factus,  
Nam valde pluviam calceus iste timet.

*De pileis venalibus.*

Hic quoque dat pileum mercatrix fœmina, quamvis  
Non habeas, nec habet fœmina prava caput.

*De calcarium venditore.*

Qui tua tam crebrò clamas calcaria vendi,  
Emptores optas, qui grave calcar habent.

*De caligis venalibus.*

Hic mulier vendit caligas absente marito;  
Fortè maritales sic capit illa vices.

Quomodò miraris, quòd fœmina sæpe maritum  
Nunc agat; en! caligas has habet ipsa dixi.

*Antequàm clauduntur portæ , exploditur sclopus.*  
 Aera quando sclopis succenso pulvere rumpunt,  
 Plus loculos subitus territat iste strepor.  
 NB. *Postquàm clausa sunt portæ , solvendum est.*

### De Porta ad rubram turrim vocata.

*Hic lardum vendunt, & carnem suinam.*  
 Nescio, porcinae quis vendat pingua carnis;  
 Nam crebro patrem venditat ille suum.  
 NB. *Vox suum est equivocam.*

#### De venditore lardi.

Omnibus iste cupit porcinum vendere lardum,  
 Quomodo Judæo? sus fugit ille suem.

#### De circumstantiis hujus portæ.

Hæc via trans rubram quamvis sit regia turrim,  
 Plus reges noctis tempore turris olet.

#### In feminas, quæ sub porta mercantur, & prætereuntes egregiè laceffunt.

Ultima sæx hominum, mihi credite, sæmina quævis  
 Quæ nimiùm mordax ore, vocanda venit.

Sed quid ego verbis infantes usque laceffo?

Promeritas laudes sæmina semper amat.

Est sophia; non igitur sæx debet sæmina dici,

Nam didicit præscæ verba canina scholæ.

NB. *Quadam veterum sæcla canina dicebatur, quæ omnia carpebat.*

#### De laniena propè feminas.

Sæpiùs hic mordet mala sæmina dente canino;

Nam vult mordaces hæc laniena canes.

#### In feminam, quæ sub porta vendit.

Hic pira sat vili pretio quia sæmina vendit,

Fors similes fruges sæpe, marite! dabis.

#### In illam, quæ halices vendit.

Halex semper amat sitiens ab acedine guttur,

Unde sitim præsens sæmina semper habet.

Sed quia falsa facit plenus sale guttura piscis,  
Dulce fatis meritò sic bibit illa merum.

*In faminam, quæ placentas vendit.*

En, laceram tunicâ, sordentem colla, fricantem  
Terga, genis fuscâ, garrulitate levem.

Mobilis æternùm partes se vertit in omnes,  
Estque novus semper membra scabendo labor.

Sed quia nulla quies, depasto corpore plures  
Ut puto, quàm centum fors habet illa pedes.

NB. *Faminiâs amant pulices.*

*In illam, quæ calceos vendit.*

Squallida, torva, minax, tetròque simillima Caco,  
Dum niger illoto furnus in ore sedet.

Hæc olim mulier folles traxisse cyclopum

Horrida nubiparis est mihi visa genis.

Sed quia fusca procos nimia fuligine terret,  
Conjugium semper quærit, amatque novum.

Jam scio, cur faciem caligo tetrica fuscet,  
Mulciberi fieri forsitan uxor amat.

### De Ripa Danubii.

*Afferunt fruges in navibus.*

Advehit huc varias mercator navita fruges,  
Quasve Tyrolensis, Bojave terra parit.

Fert Pomona suos alieno climate foetus,

*Frugibus hinc nunquam digna Vienna caret.*

NB. *Viennenses indigno scommate fruges appellantur.*

*In exteros, qui afferunt stramen in navibus.*

Nuper ut ex mediis veniebat nauta procellis,  
Stramen erat puppis, prora, carina, caput.

Stramineas igitur non miror in urbe cohortes,

Mittit enim stramen plurima terra suum.

*De eodem.*

Cur queror ingratis vestro de stramine verbis,  
Nil tam vile puto, quod neque profit idem.

Ferte, precor, gentes nova semper stramina: saltem  
Indocilis lectum sic studiosus habet,

*In nautam Suevum.*

Cæsaream numerò complet novus incola sedem,  
 Dum suevos iterum tot vehit ista ratis.  
 Fors homines præsens venales navita præbet,  
 Venalem Christum nam quoque suevus habet.

NB. *Veniunt plerumque in navibus nundinatores imaginum.*

*De eodem.*

Hic affinis, avus, genitrix, ava, filia; natus,  
 Et pater, atque socer, cùmque nepote gener.  
 Totaque suevorum non rarò stemmata puppis  
 Una vehit: *lepores vix habet illa ratis.*

NB. *Scomma suevorum est, quòd septem viso lepore fugerint.*

*In fæminas, quæ nundinantur ad ripam.*

Fluctibus hic præsens dum fluminis ora lavatur,  
 Garrula multoties proluit ora senex.

*In illas, quæ sæpius rixantur.*

Crinibus accendit rixas per terga solutis  
 Fæmina belligeram dum parat illa manum.  
 Non aliter gallus tumidas dum vertice cristas  
 Surrigit, ac socium, quem videt, ore petit.  
 Mars igitur timeat, dum fit modò fæmina miles,  
 Fors iterum victrix fæmina Martis erit.

NB. *Martem à Venere quondam fuisse victum docet fabula.*

*In easdem.*

Sordida nunc iterum tentavit fæmina rixas,  
 Jam scio, fors fieri fæmina bella cupit.

*In illos, qui cerevisiam Bavaricam per naves  
afferunt.*

Quæso, quid ebrietas Boiorum fertur ab oris?  
 Franget enim bibulum crapula multa gregem.  
 Jam scio, vestra Ceres, dum pocula grata propinat,  
 Affinem vobis vult generare suam.



*In potatores cerevisiæ.*

Donec adhuc poterit crateres turba tueri,  
 Hic bibit, & Bavaros diligit illa scyphos.  
 Nec prius, antè redux quàm claudat vesper Olympum,  
 Hic bibulis claudit lumina grata Ceres.

**NB.** *Diem unà & lucem perdunt.*

*De sale, quem per naves afferunt.*

Novimus esse salem, gratissima fercula capris,  
 Hædus enim saltum, qui sale pastus, agit.  
 Ducit ad hanc socias non rarus amasius oram,  
 Fortè salem nimium Gyprius hædus olet.

**NB.** *Locus iste frequentatur ab otiosis.*

*In otiosos, qui æstatis tempore in asseribus ad ripam dormiunt.*

Sicne tuo capiti supponis fissile lignum?  
 Fors tibi pulvinar styx nigra, surge, dabit.

**NB.** *Otium pulvinar est diaboli.*

*In puellam quamdam otiosam ad ripam.*

Vix ubi purpureis roseum caput extulit undis  
 Phæbus, & optatum pinxit in orbe diem.  
 Nescio, quæ nuper feriantem cura puellam  
 Huc ad arenivagas egerit usque rates.  
 Nec prius illa redit, donec cùm sueta labores  
 Cælesti repetit tramite luna suos.  
 Fortè caret numis (nec enim tot adesset in horas)  
 Ut pellem mulier vendere spurca velit.

*De piscatoribus ad ripam.*

Sæpe die tota mendaci fallitis hamo  
 Squamigeros inter gaudia mille greges.  
 Pergite felices, nam prædam spondet opimam  
 Flumen, & undivagas pollicitatur opes.  
 Væ tibi! qui sicco pisces in littore quæris,  
 Et piscaris, ubi non habet unda vadum.  
 Dum piscator eget sub divite funibus unda,  
 Monte Viennensi fors tibi funis erit.

**NB.** *In monte Viennensi suspenduntur fures.*

*In otiosum spectatorem ad ripam.*

Hæret hic obtutu semper defixus in uno,  
 Et sua sub vitreis lumina figit aquis.  
 Fors spectatorem genuit montosa Tyrolis;  
 Expectabit enim, piscis ut inde canat.

NB. *Scōna Tyrolensium est, quod à pisce cantum expectarint.*

*Canes in aquam proliciunt.*

Hic canis in rapidos abjecto stipite fluctus  
 Lætitiâ populo deliciosus agit.  
 Jam sequitur flumen, jam contrâ nititur undas,  
 Dentêque jam baculum, qui fugit amne, capit.  
 Quando redit, nimias bene mobilis excutit undas,  
 Millenisque fugat tœdia mille modis.  
 Tandem pigrescit, toties cùm flumen adivit;  
 Nam spectatores tot videt ille pigros.

*De ponte fluminis.**Propè pontem leguntur milites.*

Militiam cumulare novo cupit agmine miles,  
 Ast nisi sat validos non amat ille viros.  
 Sat bene: nam rigidis nimium Mars sævit in armis,  
 Amputat ille manus, abbreviatque pedes.  
 Quando nimis longo pede carmen inutile vexat;  
 Huc eo; vult longos Mars breviare pedes.

*Propè pontem vendunt bellaria, & saccharum.*

Huc adeas studiose! pigras si transigis horas,  
 Si tibi vix unquam dulcia verba fluunt.  
 Hic eme tot merces: nam vox suavissima fiet,  
 Orêque dulciflvo, discis aselle! loqui.

*In otiatores, qui in ponte Danubij consistunt.*

Sæpius in multas cunctator plurimus horas  
 Deperdit gratos hinc sine fruge dies.  
 Forsan arithmeticam pigritando discere quærit,  
 Stultitias hominum qui numerare cupit.

*In eosdem.*

Pons rue, nam stolidi si tot mergentur aselli,  
Philosophis nullus *pons asininus* erit.

*De ligno panali pro pistoribus ad ripam.*

Quando parat Cererem leviori pondere pistor,  
Supplicium, quoties præterit inde, videt.  
Sed quia fluctivagas lignum proclinat in undas,  
Horrificum pistor plus fugit angue locum.  
Fortè fames auri, Cereris dum munera pinfit,  
Plus movet: immodicam nam fugit ille sitim.

*De alveo Danubij, cum tempore hyemis congelascit.*

Tempore brumali constringunt frigora flumen,  
Quassaque spumiferis fluctibus unda coit.

Sæpius hinc longas ætas puerilis in horas  
Fallit iter dociles perpoliando pedes.

Quisquis es à vino fractus, fac quæso, recede,  
Nam via, quæ transis, frangit & ista caput.

Tutiùs inspiens solidas transiverit undas,  
Quomodò franget enim, quò caret ille, caput?

*In maritum lubricantem.*

Hæcne maritales suaserunt gaudia leges,  
Ut vehat insuetos lubrica bruma pedes?

Forfan amas saltum, vel agis cunabula prolis,  
Discis enim, gratum quomodò corpus agas.

*In Studiosum lubricantem.*

Sicne eomes pueris certamina ludicra misces?  
Palladis ut nequeat te revocare decor!

Aut meliùs disces, aut es capitosus in omnes,  
Frangere vis etenim lubricitando caput.

*De sene per glaciem transeunti.*

Semita, quæ graderis, tibi lubrica fortè videtur;  
Lubrica, crede, magis quæ gradieris, erit.

NB. *Senectus morti proxima.*

*De coqua trans glaciem abeunti.*

Portabat saturos ovis, & carne canistros  
Hic coqua, lautitiis dona parata novis.

Hac attende via, nam prandia certa parares,  
Frixia diu præsens jam cupit ova puer.

### De navigio ad ripam.

*In senem, qui se trans flumen vehi cupit.*

Si cupis adversam contingere fluminis oram,  
Navita portorium mox petit inde suum.

Quæso senex, istam noli conscendere navim,  
Fors niger est præsens portitor ipse Charon.

*De piscibus, qui in Danubio vivarijs, atque fiscellis  
inclusi servantur.*

Hic jejuna fames includitur, ite gulosi!

Inspidus vobis non placet iste cibus.

Spumiferas piscem finitis natitare per undas,

Sæpe soletis enim vos natitare scyphis.

*In piscatorem.*

Emptores quæso, nè decipe, quando dolosam

Styx nigra vafritiem suadet, amatque tuam.

Nam subitò stygius suasor fit sorte novata

Piscator, majus te quia rete gerit.

*De eodem.*

Austriacis pisces venales semper habebis,

Quando Tyrolensis quæret, habebis aves.

NB. *Feruntur Tyrolenses à carpione tantum expectasse.*

### De nundinis ad ripam.

*Vasa lignea diversimodè fabrefacta venduntur.*

*In emptorem stolidum.*

Hic venale forum dum nuper transiit emptor,

Undique disquirit singula; necquid emit.

Fors voluit vendi reliquis cum mercibus emptor;

Absimilis ligno vix homo truncus erit.

*In emptorem claudum.*

Ligneus hic nuper pes claudum fertur emendus,

Nam dextrum bellò perdidit ille pedem.

Nunc igitur tota pede ligneus ambulat urbe,

Dextra nequit saltem lædere crura lapis.

Mars rapuit dextrum ; si mors rapit æqua sinistrum ,  
Ad tumulos *primum* vix feret ille pedem ,

*In eundem.*

— — Ecce pedem versus quoque perdidit iste ,  
Sic unum meliùs quærit uterque pedem.

### In lufores ad ripam.

*In Cacilium.*

Vendidit iste togam ludendi victus amore ,  
Et pilei liquit fimbria chara caput.  
Cætera fac serves ; præsens quia flumen haberes ,  
Perpetuus fieres fortè natator aquis.

NB. *Nudus flumen natator adit.*

### De Porta nova.

*In illum , qui asino penes portam insidere cogitur.*  
Ligneus ingentem nunc portat asellus asellum ,  
Ligneus est hic equus , nescio , num sit eques.

*In excubias ad portam.*

Hæret is in pigro defixus tergo muro ,  
Nec plùs se paries , quàm sua membra movet.  
Miles Alexandrô certè pugnacior ipsô ;  
Stabit enim veluti murus in hoste vigil.

### De equuleo, seu loco punitionis ad portã.

*In prædonem.*

Iste locus vindex junctos propè segregat artus ,  
Nexibus ut cedant membra retorta suis.  
Nil tamen hæc tanto terrent tormenta rigore ,  
Quippe *malum* mendax fur sine fine *negat* .  
Pro furto potiùs tractâset prædo libellos ,  
Philosophus melior nullus in orbe foret.

NB. *Bonus Philosophus mala negat.*

*De lignorum fissoribus ad portam.*

Hic vigil ad portam lucem propè *fissor* in omnem  
Excubat , atque sua semper in arte timet.  
Nam , quemcunque videt , qui præterit , ore trementi  
Hunc rogat , annc suæ fors foret artis egens.

Aurea dum reliqui lætantes otia quærunt,  
Debet hic ante fores otia dura pati.

*In eundem.*

Struthio narratur rigidum consumere ferrum :  
Ast tu consumis dolia plena satis.  
Semper in occiduis est struthio rarior agris :  
Ast tibi confimiles quælibet ora parit.

*In fissorem ligni.*

Ecce, diem totam lignum jam fissile tractat,  
Fessaque sat longus tempora sudor obit.  
Quod dedit ista dies, solito nox abripit haustu,  
Sic igitur meliùs noxque, diésque madent.

*In eundem ingenti ferrò instructum.*

Forfan erit chymicus, quia ferrum mutat in aurum :  
Ex ferro, quod habet, quippe moneta venit.

*De molesto fissorum labore.*

Una moneta potest rigidos mandare labores :  
Auri quippe fames cogit abesse famem.

*De captivis, qui sub porta à prætereuntibus stipem  
rogant.*

Quem niger horrifico divexat carcere squalor,  
Hic dira vinctus compede quærît opem.  
Per sacra, per superos, per cælica cuncta precatur,  
Atque stipem tota vix videt ille die.  
Carcere de stygio potiùs memoraret avaris,  
Extorqueret enim tam gravis horror opem.  
Dum sitiens auri renuit succurrere mundus,  
Sic saltem misero ferret avernus opem.

*De Hospitio ad struthionem in Leopoldina.*

*In bibulum.*

Alternis certant hic saltus, & amphora bellis,  
Nulla quies pedibus fit, mora nulla Scyphis.  
Fortè pedes bibulo tibi saltus, & amphora fregit,  
Nam potes ad propriam vix titubare domum,

## De Horto ad Equulum album.

*In lusorem Pyramidum.*

Donec adhuc loculis Sacra Cæsaris extat imago,  
 Durat avaritiæ fervor, amorque lucri.  
 Ludere nî cessas (nam fors fugitiva recedit)  
 Certius in pœnam mox tibi Cæsar abit.

*In eundem.*

Quid, Blaspheme! tuum conaris vertere lusum?  
 Infidet instabili fors variata globo.  
 Verte globum potius, quia lusum vertere nescis;  
 Deterior fiet fors bona fortè prior.

NB. Sensus ultimi versûs est amphibologicus, nam & luses  
 fores ancipitem fortunam conqueruntur.

*In eundem.*

O miseros homines, curis quos figit acutis  
 Lusus, & infelix vexat ubique lucrum.  
 Nunc melior spondet facilem fortuna salutem,  
 Nunc iterum varias jactat iniqua minas.  
 Jam meruit vestem vobis fors grata; plicandæ  
 Nunc rursus superest nulla moneta togæ.  
 Atque sub extremum nullus pede calceus extat,  
 Ad Styga nî cessas ludere, nudus abis.

## De Tabernis Caffeariis in Leopoldina.

*In ebrios, qui hunc potum bibunt.*

Ebrius hîc clavum clavô vult pellere, quando  
 Quò plures hausit, plûs sitit ille scyphos.

*Circa idem.*

Pocula turcarum quem non fecêre benignum?  
 Nam quicumque bibit, dulcia verba facit.  
 NB. Potus iste sumitur cum saccharo.

*In ebrios luses in his tabernis.*

Hîc ubi complêrunt immenso gurgite ventrem,  
 Ludendi subitus pectore gliscit amor.  
 Ebrie! liquisses niveas in pace monetas,  
 Certius, ut credo, cras tibi bursa vacat.

Sat bene: nam lusum quia cernere, pote! nequibas,  
Ex oculis numos cernis abesse tuos.

*In illos, qui ex lusu vivunt.*

Quando caret sociò, solet unguis rodere lusor,  
Donec, quem capiat subdolos arte, venit.  
Væ tibi! felices cùm fors perverterit horas,

Decipiâtque tuas alea jacta manus.

Quid facies? si quando sitis te sueta vocabit,  
Sive famês: unguis tunc quoque rode tuos.

*In lusorem nefarium.*

Si quid adhuc reliquum tibi vita nefaria liquit,  
Debet id in syrtes, Bacche! venire tuas.

Sic vaser alternis lusor sua tempora noxis,  
Alternâque simul nocte, diêque trahit.

Nam cum luce redit reprobi spes impia lucri:  
Fors iterum victor nunc ero: lusor ait.

Pocula, lusus, amor socio certamine bellant,  
Si tot bella tibi, quomodò victor eris?

### De Domo Castigatoria.

Si lateat, cur ista domus: qualisve vocetur;  
Plurima quassorum tergora quære, scies.

*De eadem.*

Castigat genitor natum, quem diligit: omnes  
Hæc quia castigat, diligit ergò domus.

*De panis rigidissimis, quæ in hac domo imponuntur.*  
Credideram sisyphum piceis habitare sub umbris,

Fertur enim stygiis volvere saxa plagis.

Vivit adhuc sisyphus rigidissima saxa volutans,

Tot lapides minui dum cupit ista domus.

*In faminam, quæ in hac domo propter otium  
castigatur.*

Quomodò conquereris tam duros ferre labores?

Sint potiùs tergo verbera grata tuo.

Scis etenim, quantum semper patiantur amantes,

Quòd modò sustineas verbera, fecit amor.



*In eandem.*

Nunc lachrymas fundit, nunc carmen flebile cantat,  
 Aut cùm vesper adest, aut redit alma dies.  
 Fortè boum crebras hìc prandet fœmina carnes,  
 Corpora nam nervus bubulus ægra facit.

NB. *Patientes in hac domo manè, & vesperi nerod bubulò salutantur.*

*In eandem.*

Tristis ab innumeris pallefcit fœmina curis,  
 Nubila tardigradis cùm fluat hora moris.  
 Quis renuet meritas captivæ dicere laudes?  
 Nam castigari, dum feriatur, amat.

*In eandem.*

Ecce! tuô vindex mensurat verbera tergò,  
 Fortè manum graviùs quàm tua terga, doles.  
 NB. *Manum percutientis baud dubiè sentiet.*

*In feminam ad vita tempus huc damnatam.*

Nunc juvenilis adhuc tot verbera tristia luges,  
 Et quereris durum pertolerare jugum.  
 Quando senex fies, forsan meliora sequentur;  
 Namque novem pelles verbera plura ferent.

*In filium inobedientia causâ hìc detentum.*

Forfitan incipiet præceptum discere quartum,  
 Dum semper quatuor verbera manè capit.

### De fundatione ad S. Marcum.

*Ænigma.*

Hæc domus innumeros pellit medicamine morbos,  
 Atque necem docta crebriùs arte fugat.  
 Ast varios homines totus complectitur orbis,  
 Dicite, quæ gens est? quam juvat ista domus.

*De mente captis, qui in hac fundatione servantur.*

Gens ratione carens, & mentem plena chymæris,  
 Incolit alternos, astra, stygémque lares.  
 Hic sua tænaros cogit sub jura ministros,  
 Angelicis iterum præcipit ille choris.

Tres quia cæca Joves fertur coluisse vetustas,  
 Hic tibi centenos dat domus ista Deos.  
 NB. Plerumque mente capti se Deos fingunt.

*De quodam mente capto.*

Dividit hic varias quidam pro munere sortes,  
 Hos Reges, alios jam facit esse Duces,  
 Quisquis es oblato nunquam satiabilis haustu,  
 Huc adeas; Bacchum te facit ille Deum.

*In mente captum, qui vestes non patitur.*

En, sua dum vecors sub stramine membra volutat,  
 Aut fugit paleas, aut sua terga scabit.  
 Forsitan æthereas jam visitat angelus oras,  
 Corpora qui nescit nuda, togamque negat.

*In mente captum, qui caput tegi non patitur.*

Jam scio, cur pileum capiti sine fine recuset,  
 Sat bene, quod renuat: non habet ille caput.

*In stultum qui postum, & pocula à se abjicit.*

Iste sibi varios fingit sine fine dolores,  
 Nam queritur piceam se tolerare stygem,  
 Hinc, si quando dapes, aut pocula sueta feruntur,  
 Oblitus nocuam, projicit omne, sitim.  
 Ast, quia jam dudum se raptum judicat orbi,  
 Lethæos hausit, non sitis ergo, scyphos.

*In stultum, qui jacens sub storea se crebrius titillat.*

Sub storea crebros stultus parit ipse cachinnos,  
 Nam sua titillat membra, cutemque movet.  
 Aut ridere cupit, quia titillatio suadet,  
 Aut se rideri stultus ab urbe petit.  
 Perge novos, ô stulte! tibi producere risus,  
 Ridiculam mortem sic bono stulte capis.

*In stultum advenam, qui capite raditur.*

Non ego, si monachum se finxerit esse, stupebo,  
 Nam rarus toto vertice stultus adest.  
 NB. Stulti de se diversa fingunt.

*In feminam, quæ hanc domum verrit.*

Conjugis ad scopas præfens stat in æde maritus,  
 Fæcibus ut saturam fridula verrit humum.  
 Verre; maritus ait, toties mihi causa dolorum,  
 Qui tibi nunc verram tergora prava, doces.

*In eandem.*

Pulvere densatas sequitur mala fæmina Scopas;  
 Rauca cupit fieri; pocula forsan amat.

**De foro, ubi pisces veneunt.**

*Domus quadam in hoc foro fontem piscatoribus ministrat.*

Proliciuntur aquæ, dum sedula turba profundum  
 Alterna fontem tractat, agitque manu.  
 Pabula fluctivagis num piscibus unda ministret,  
 Nescio: nam fessum plus alit unda gregem.  
 NB. Solvantur mercenarij, qui fontem trahunt.

*De prunis in hoc foro venalibus.*

Qui sedet à studiis, nimirumque labore retentus;  
 Qui pigra sat pasto corpore membra fovet  
 Hic sibi pruna paret; facili mercede dabuntur;  
 Post horas aliquot currere quippe volet.

*De salpa venali.*

Quamvis, quidquid habet, de salpa fæmina vendat,  
 Venalis semper plurima salpa manet.

*De cepis, & alliò venalibus.*

Hungarus hic crebrò cepas, ac allia vendit,  
 Hungare sicne tuas vendis in urbe dapes?  
 Jam scio: vis niveas pro cepis ferre monetas,  
 Argentum sapies, allia quando sapis.

**De Lanienis.**

*In maritos, qui carnes emunt.*

Conjugis officium pudeat subisse maritos;  
 Fæmineos adeò non decet esse viros.

Vos tamen, ut ferians trahat aurea tempora conjux,

Abjectum turpes vivitis inter opus.

Ocyus ite domum, carnes lixate recentes.

Saltem barbatas urbs habet ista coquas.

*In viduam, quæ carnes emit.*

Hæc mulier carnes hædinas, sive caprinas

Huc quoties emtrix migrat, habere cupit.

Miror ego gustum viduæ, stomachumque caprinum,

Ut puto: Sartores sæminæ forsan amat.

*In coquam pinguem & abdominosam.*

Vix emptura venis, pro carnibus ossa recusas

Dicis enim, mordax rodât ut ossa canis.

Pingua semper amas mactati terga juvenci,

Sic tecum pinguis tota culina manet.

De foro ubi olera, & Herbacea  
venduntur.

*In vetulam, quæ vendit olera.*

Hic tibi ver gratum, lætâsque viroribus herbas

Undique rugarum plena ministrat hyems.

Decrepitam meritò se dici posse recusat,

Nâmque senex iterum plena viroris adest.

*In vetulam, quæ raphanum vendit.*

Crebrorum raphanus pater est, authôrque malorum,

Dum nova quæ gignit tormina, ventre latrant.

Quæso, quid innocuum causas radice latratum?

Ipsa diem totam tu sine fine latras.

*In vetulam, quæ paximaces vendit.*

Vix matutinas sol pervigil attulit horas.

Capta lucri mulier rursus amore venit.

Dum jam manè senex vendendo concupit aurum,

Aurea fors fieri sæmina tota cupit.

*In senem macilentam, quæ panem vendit.*

Quid tua vult macies? fateâre senecula causam,

Pingua dum tecum pabula semper habes.

Si, quod habes, nequeat pinguem tibi reddere pellem;  
 Fors quodcunque deest, Te macerabit idem.

*In vetulam, quæ asparagum vendit.*

Asparagos dum prava suos hic fœmina vendit,  
 Crebrius emptores ore loquace petit.

Et nisi conveniat pretiô, mox carpit eosdem,  
 Ac parat innocuo plurima tela gregi.

Cùm tamen asparagum tot verbis aspera vendat,  
*Laxenburgensem* rancida quæret anus.

NB. *Asparagus Laxenburgensis* recepto axiomate verbera significat.

*In vetulam, qua omnia hiante ore admiratur.*

En tibi! cùm mulier nasum suspendit aduncum  
 Oréque rictanti qualiacunque stupet.

Vel canturrit anus, vel scit se fœmina cygnum,  
 Nam cygnea senex gutture semper hiat.

NB. *Senectus* ob canitiem *atas cygnea* dicitur.

*In vetulas, quæ ova vendunt.*

O utinam vobis plenîs hæc ova canistrîs  
 Omnia frangantur! res mihi chara foret.

Absque focô meliùs sic frixa parabitis ova,  
 Nónne, senes! vobis prandia grata precor?

*In vetulam, quæ pulveres cyprios vendit.*

Laudo, quòd hoc facias, quia te dea Cypria liquit,  
 Cum Cyprio saltem pulvere semper ades.

*In faminam, quæ coronas pro sponsis, & mortuis vendit.*

Vivis adhuc cælebs, nec habes jam cana maritum,  
 Dic mihi, cur sponsis ferta, necique pares?

Si faciunt numi, quòd sponsis ferta, necique  
 Conficias: morti tûque tributa dabis.

*In Sutores per urbem copiosos.*

Perpetuò sunitis, subulas tractatis, & atra  
 De pice complicitas vultis habere manus.

Longiùs ad potum vos ergò jure manetis,  
 Hæret enim miris pix ubicunque modis.

*In sutorem bibulum.*

Dimidium conjux perpotat, cetera sutor,  
Mundi fallaces sic bene spernit opes.

*In eundem.*

Quando redux sub nocte suas festinat ad ædes,  
Mox panem rogitant pignora chara patrem.  
Sed quia promeruit pro se cum conjuge vinum,  
Tot natis panem vix dabit ille suis.

*In Sutorem bibulum, qui nomen dedit militia.*

Dum reliqui sitiunt hostilem Marte cruorem,  
Iste rubrum piceo plùs sitit ore merum.  
Sed quia crebra sitis nimio causatur ab æstu,  
Forfitan hostili sutor ab igne calet.

*In eundem.*

Jure globos, piceisque faces eludit, & hostes;  
Nàmque die tota tractat in arte piceo.

## De foro ad S. Petrum.

*In vetulas, quæ radices & herbas medicas vendunt.*

Phæbus erat medica cultor primævus in arte,  
Nunc centum Phæbes urbs habet ista novas.  
Vos igitur, Phæbe! vestram nisi linquitis artem,  
Cornua sunt quovis mense ferenda novo.

NB. Phæbe idem ac luna.

*In aliam ejusmodi farina.*

Ecce! salutiferas emptori porrigit herbas,  
Radicésque suas vendit avara senex.  
Quæso, tibi potiùs fœtentes corrige nares;  
Non bene fert aliis, qui sibi nescit opem.

*De capris in hoc foro, quas lacte tumentes pro Hæcti-  
cis mulgendas offerunt agricola.*

Cùm nimis exsiccat tacito gravis Hæctica morfu,  
Malsa bibunt æperi lactea dona capris.  
Vos nisi, factores! nimiùm potare cavetis,  
Supremum Bacchus proferet ipse malum.

Sæpius à nimio propullulat Hætica vino,  
Tunc bonæ mulgebis factor ubique capras.

*De foro ad palum in ferro.*

Huc opifex peregrinus adit: ferróque scatentem  
Palum vult clavís multiplicare novís.

Huc veniant vates, si metris desit acumen;  
Nam nihil hic palus præter acumen habet.

*In opificem, qui huic palo clavos infixit.*

Dum nuper palò clavum figebat aduncum

Tardus & incultæ rusticitatis homo,  
Anceps hærebam, quis clavò dignior esset;  
Insignis quoniam stipes uterque fuit.

*De nundinis annuis.*

*In fures.*

Quæ vos, ò fures mercandi cura vocavit,  
Siccane sunt vobis colla, vacante manus?  
Cernite, venales illic dat sæmina funes,  
Hos auferte precor; quisque precatur idem.

*Ad mercatores Norimbergenses.*

Ploratis toties nullas vos vendere merces,  
Quas neque nobilitas, nec sibi civis emit.  
Emptor vestra diu cupit infundibula vendi.  
Ferte precor tandem, plurimus emptor erit.

*Ad illos, qui fila & taniâs vendunt.*

Credite; vos quondam Lachesis stupefacta timebit,  
Cum tremet exeso corpore laxa cutis.  
Stamina vobiscum venalia semper habetis,  
Ut vix tot Lachesis rumpere fila queat.

*De taberna fusoria.*

*In virginem, quæ venales habet lampades.*

Hic sedet extincta semper cum lampade virgo,  
Nè fatuas inter sit numeranda precor.

*In venditores telarum.*

Emptorum fieri vos semper opinor amicos,  
Proximior quoniam sanguine nullus erit.

NB. Ex telis parantur indusia,

*De libris prohibitis, qui venales non conceduntur.*

Non licet hic vetitos venales pendere libros,  
Horret enim pestem tota Vienna novam.

NB. *Vienna invaluit quondam hæresis.*

*In bistriones, qui tempore nundinarum adsunt.*

Histrionum dum resti tremula bene mobilis hæret,

Delicias agili corpore mille parit.

Nil sibi pendentem solvi timet histrionum restim;

Nam solvi, tremulus nunc quia pendet, amat.

NB. *Exigunt à spectatoribus numos.*

*In lutores ad globulos, ut vocant.*

Aut rubet, aut nigricat tereti fors acta cylindro,

Sors nigra persequitur, sors bona quando rubet.

O quot lutores fato nigricante perempti

A corvis sortem sustinuere nigram!

*In lutores ad aleas.*

Alea, dum jacitur, numero nunc dispare gaudet,

Nunc iterum numerum gaudet habere parem.

Sæpe die tota toties numerare soletis,

Donec vix numus, quem numeretis, adest.

*In medicos vagabundos.*

Ecce! vagatores medici venalia præbent

Pharmaca; non paucas hoc genus haurit opes.

Quisquis es ægrotus, si falli forsitan optas,

Argentò plenas fac tibi, quæso, manus.

Quippe solet medici prodesse pecunia morbo,

Quis neget, illius quòd medicina juvet?

*In nundinatores, qui sortilegia extruunt.*

Cuncta tot astutas non educat orbita vulpes,

Quàm genus hoc hominum, quod capit omne genus.

Venalem facitis sortem; sed rete locatis,

Quò ruat in tacitos credula turba dolos.

Sed quia speratis sortem spectare malignam,

Sors mala sic vobis est bona: nosco dolos.



*Liber Tertius*  
**De Hospitiis.**

*In bibulos.*

Pocula Rhetoricam crebrò docuêre colonos,  
 Sæpe rudis venit, qui modò Rhetor abit.  
 Nam poti plures faciunt quàm mille figuras,  
*Impropriè* semper dum didicêre loqui.

*In ebrium.*

Vix quatuor passus numerat, mox concidit æger,  
 Qui nequit ex lutea surgere rursus humo.  
 Vel nimis est humilis, vel culto more politus,  
 Nè cadat asperiùs, jam modò repit humi.  
 NB. *Leges Ethica sunt: qui altiùs surgit, profundius cadit.*

*In ebrium canentem.*

Cornix quando madet, venturos prædicat imbres,  
 Et campestre melos, dum madet iste, canit.

*In maritum Ebrium.*

Cùm tumet à vino, rixas proclivis in omnes  
 Ebrius assuetas gaudet habere tricas.  
 Fortior est ipso Jove, summis fortior astris,  
 Conjugis à manibus Jupiter iste luet.

*De hospitio ad caprum.*

Hac numerosa cohors bibulorum confluit æde,  
 Potat & in seram læta corona diem.  
 Ut fert fama, caper primus fuit ebrius olim:  
 Fors inventorem Bacchica turba colit.

NB. *Caper Noënt est ebrietatis inventor.*

*De Hospitio ad Balanare.*

Angulus omnis habet bibulos, Bacchóque fideles,  
 Est tamen hie inter pocula nemo domi.

**De Hospitio ad anatem.**

*In bibulos.*

En tibi rem miram! quod nemo vidit ab ævo,  
 Hic anates vinò sæpe natate solent.

*In eosdem.*

Semper anas titubat, bibulis se quippe magistram  
Exhibet, & toties vos titubare facit.

Quando caput gyrat, partes migratis in omnes,  
Irrecto pariter nam pede pergit anas.

*De Hospitio ad Stellam.*

Ecce! bibulos ait: vix crapula densa nocebit,  
Námque dabit comitem se mihi stella domum.

*In bibulum.*

Non ego te miror, varias si sciveris artes,  
Námque Mathematicum te modò stella facit.

NB. *Ebrii cuncta scire se perbibent.*

*De Hospitio ad marem sylvestrem.**In bibulos.*

Itur in antiquam post pocula plurima sylvam,  
Pocula principium, pocula finis erunt.

Sæpiùs ùt brutum solita ratione caretis,  
Nam vos Sylvestris mas facit esse feras.

*De Hospitio ad bovem aureum.**In bibulum.*

Ebrius, en! vicos expertis rationis oberrat,  
Aureus ergò potest bos generare bovem.

*De foro, ubi aves venduntur.**In spectatores otiosos.*

Cùm rapit implumes avibus gens rustica nidos,  
Hos puer atque senex deliciosus emit.

Nunc ego non miror tot inertes semper adesse;  
Semper enim pigri sunt, ubi nidus adest.

*In vetulam, quæ aves vendit.*

Macra tepet facies, natitatque famelica pellis,  
Depastámque probat vóxque, colórque lupam.

Cùm nihil ingluviem possit satiare luparum,  
Miror, cur volucres non voret ipsa suas.

Vendit adhuc mulier, volucrem neque devorat unam,  
Ut puto, fortè senex hæc lupa dente caret.

## In eandem.

Emptori volucres mulier si vendidit omnes,  
 Unica semper adhuc, quam quoque vendat, erit.  
 Nam quia, quidquid habet, tenet unguibus ægra duobus,  
 Sic ea, quem possit vendere, vultur erit.

## In venditorem avium.

Est avium quædam species, quam dicere nolo,  
 Has inter vendi, venditor ipse potes.

## De Domo, quæ vocatur ad asinum in cunis.

Fors toties teneri cunis agitantur aselli,  
 Nam cunis asinus se quoque poscit agi.

## De Domo, ubi vacca lusu duodecim scruporum occupatur.

Res sunt digna joci, nam lætior hora recedit;  
 Quando vacat tempus, ludere nemo vetat.  
 Præstaret rudibus fallaces linquere scrupos,  
 Qui tria, vel quatuor vix numerare queunt.  
 Sed quia vacca novos hîc tractat sedula ludos,  
 Nunc etiam bobus nemo vetare potest.

## De Domo, ubi lupus concionatur anseribus.

Verba diserta lupi taciturnus percipit anser,  
 Insidias rapidi nesciit ille lupi.  
 Nunc homini lupus est homo, qui dum dulcia fundit  
 Verba, vel insidias, vel mala certa struit.

## De Domo, ubi Turcæ equitis statua se exhibet.

Venerat huc tacitis per terræ viscera technis  
 Urbem Turca ferox obsidione premens.  
 Ast quia pistores media sub nocte laborant,  
 Mortiferos lunæ detinuère dolos.  
 Perdedit imperium sub noctis tempore luna,  
 Nunc igitur sceptrò nocte, dièque caret.  
 NB. Per pistores urbs à turcis liberata est.

## De eodem.

Fors quia pistores fraudem sensère Getarum,  
 Non erit Austriaca panis in urbe Getis.

*De hospitio ad draconem, ubi aurigæ Baadenses  
diuertunt.*

Hæc venis ad thermas. Aurigis semper abundas  
Ista domus, qui te, si bene solvis, amant.

Nè priùs hospitium subeas; hìc (anteà thermas  
Advena quàm videas) balnea certa capis.

*De epulariis & cauponibus, qui venalem omnibus  
mensam habent.*

Apparat hospitibus pretiò convivia justò

Caupo, dátque suas ære sonante dapes.

Non habet hospitium, fulvò qui deficit aurò,

Nempe vacat stomachus, dum tibi burfa vacat.

*In studiosos, qui libros propter lusum vendunt.*

A patre sat magno collata volumina censu

Victus ludendi vendit amore Tyro.

O stultum juvenem! proprium qui diligit astum,

Ut se decipiat, decipit ille patrem.

*In eosdem.*

Omne, quod humanum, longævo frangitur usu.

Nam nihil, æternum quod foret, orbis habet.

Hoc timet iste Tyro: libros quia vendit; & aurum

Quod recipit, docilis perdere lusor amat.

Sed quia cum socio foliis constanter inhæret,

Nónne potest libros vendere jure suos?

NB. *Diligentium est tractare folia.*

*In quosdam Studiosos Hungaros ob brevem tunicam,*

*legésque Profodia in loquendo non servatas.*

Jure breves tunicas pro longis ferre soletis,

Nam quoque fit vobis syllaba longa brevis.

*In Studiosum Hungarum Catarrhò laborantem.*

Cùm tibi fors socius quædam mendacia fingit,

Hoc non credo, canis fit tua mater: ais.

Nunc tibi mucoso sunt guttura rauca catarrhò,

Atque canis veluti voce strepente latras.

Miror ego raucum, quem provomis ore, latratum

Nam canis, ut scimus, non tua mater erat.

*In studiosos cantatores.*

Turba sagax didicit doctos conscribere cantus,  
 Jure proinde suum promit ab ore melos.  
 Sed quia cantando panem sibi provida quærit,  
 Quid melius? panem sic habet illa canens.

*De lanienis, ubi viscera porcorum & pedes suillos  
 vendunt.*

Quem gravis assiduo perfregit podagra morsu,  
 Amplius ut nequeat stare, nec ille gradi.  
 Huc se portari lecticâ morbidus optet,  
 Nam dabit ad reditum mox laniena pedes.

*In portatores, qui funes secum habent.*

Noli congestas aliorum tangere gazas,  
 Pendulus à collo nam tibi funis adest.

*De tinctore vestium sericearum.*

Tot vestes reparat grato bombyce superbas,  
 Atque senes mira tingit ab arte togas.  
 Si pariter vultus muliebres tingere posset,  
 Tingere deberet nocte, dièque senes.

*De lecticariis.*

Vos habet urbs famulos, qui tergore fertis onusto  
 Sartores etiam sæpius, atque fabros.  
 Res est nota quidem, portari stramina ventis:  
 Fortia nunc ventos stramina sæpe ferunt.

*In Judæos ob longam barbam.*

Quando Deus, trifido Judex fulgore tremendus,  
 Segregat hædigeros, lanigerosque greges.  
 Tunc ego vos socios hædorum credo locari,  
 Hædigeris quoniam barba stat hirta genis.

*In eosdem, qui carne suilla non vescuntur.*

Non petit ad sacrum Christi Judæus ovile,  
 Jure proin stabulum debet adire suum:  
 Quando tamen latitat porcino clausus in antro,  
 Sus erit: hinc alium non vorat ille suem.

*In eosdem qui frustra Messiam expectant.*

O quot tardigrado fluxerunt sæcula passu!

Cùm nova Messix spes sine fine viret.

Longa sat à tantis est expectatio lustris,

Quæ plures patitur nunc sine fine moras.

Si genuina foret spes vestra, beator esset,

Jam venisset enim, sive veniret adhuc.

Sed quia non venit, Græcis venit ergò Kalendis

Jure facit longam spem sibi *Græca fides.*

*Circa idem in eosdem.*

Si bene Philosophor, quid sit spes vestra docebo,

*Esse negativum quid, ratione probo.*

Est spes vestra merum nomen, caret ergò futurò,

*Inde negativum quid ratione probo.*

NB. *Nihil futuri spes Judæorum habet.*

*De flumine Vienna dicto.*

Ecce! rapax flumen tumefactas objicit undas,

Atque gerit spumis ludicra bella suis.

Jam scio, cur tumidas toties vehat unda procellas,

Sæpe Viennensis balnea captat anas.

NB. *Urbs habet popinam, qua ad anatem vocatur.*

*In juventutem, qua in flumine capit balnea.*

Quid, puer! incauto graderis per flumina passu,

Lassâque Phæbeo membra calore lavas?

Quid modò luctaris sursum, quid abinde deorsum?

Nil metuis dubias, quas movet unda, minas?

Desine: nî cessas toties tranare per amnem,

Ad stygios debes usque natate lacus.

NB. *Non rarò juvenes in hoc flumine submerguntur.*

*Lignum Vienna est charò pretiò.*

Miror ego lignum tanti venale putari,

Nam vehit huc plenas stipite nauta rates.

NB. *Sæpe lignum metaphoricum per aquam advenit.*

*Tempore noctis in tota urbe lucent lampades.*

In noctes converte diem, quia fortè licebit,

Nam facit ardentem nocte Vienna diem.

## De eodem, in bibulos.

Arserit in seram si lampas Bachica noctem,  
 Si caput, & cerebrum jam magis igne calet.  
 Sive domum redeas, dux est ad somnia lampas,  
 Duceris ad somnos lampade, quando manes.  
 NB. *Ebrii sine lampade lectum vix inveniunt.*

## De eodem, in cæcum noctambulonem.

Perge tuo felix noctambulo cæce bacillô,  
 Fors metues hominum millia, quando dies.  
 Si negat officium baculus, tibi, quæso! molestum  
 Projice; nam præsens undique lumen habes.

*Urbs semper facibus purgatur.*

Crebrius urbs purgat natitantes stercore vicos.  
 Et plateis fæces evehit illa suis.

Extere! nè venias, nisi te bona fama decorat,  
 Horret enim faces ampla Vienna novas.

## De Castaneis tempore hyemis venalibus.

Si nihil addiscis, cunctamque perosus es artem,  
 Si pigra contemptum te facit esse quies.  
 Hic eme castaneas, & vescere: nemo negabit,  
 Quòd modò fuscato sis niger ore faber.

## De sepimento ex palis circa mænia.

*In viatorem inspidum.*

Cum populus pigras trahit absque laboribus horas,  
 Crebrius hic circum mænia carpit iter.  
 Et celeres miratur equos, in pulvere signans  
 Effigiem baculô, saxaque parva movens.  
 Sed quia permittis accurrunt agmina turbis,  
 Sæpe solent doctis se sociare rudes.  
 Ecce! potest fieri palus rudis iste viator,  
 Si caput invertes, stipes adustus erit.

*In illos, qui carbones vendunt.*

Torva viris facies, nigròque simillima Diti,  
 Fusca manus, fuscus dens, toga fusca viris.  
 Perpetuas nubes in vestris Judico fastis,  
 Frons etenim nigricans nubila mille notat,

Vartareos vitate, precor, Cacodæmonis ignes.  
Vester enim flammæ gliscere carbo facit.

*In venditorem Carbonum.*

Cum moriar, stygias tecum non ibo per undas.

Vir niger! obscurus non placet iste color.

Tu mihi fors esses, dæmon velut ipse timori;

Nobile par fratrum vos probat esse color.

*De fæminis lac vendentibus.*

Lac tibi vaccinum speratô fæmina lucrô

Vendit, & hirsutæ munera grata capræ.

Quisquis es ignavus, vaccarum dona relinque,

Namque bovi donum bos daret ipsa suum.

*In bibulos carbonum venditores.*

Patria liquistis stridentibus oppida plaustris,

Venistis pretiô, muneribusque graves.

Nunc igitur numos longo consumitis haustu,

Forfitan in reditu vultis abire leues.

*De Polonis urforum actoribus.*

Murmura sentisco, perculsa voce tremisco.

Ad saltus usum quando polonus agit.

Et quamvis absint rigidi de stirpe Poloni,

Sæpe Polonorum saltus in urbe datur.

*In venditores calcis.*

Qui calcem fertis; prædari quæso! cavete:

Nam vobis longis calx putrefiet aquis.

NB. Calx in aliquo sensu partem pedis significat.

*De vini præconibus.*

Vix ubi pampineo nova penditur hedera Baccho,

Garrula raucifono turba strepore vocat.

Nam bibulos toties potus facit iste loquaces:

Hinc meritò clamat, te quia Bacche vocat.

NB. Hi præcones ingenti voce vinum proclamant.

*In ventosus, qui tempore hyemæ portant vestes  
æstivas.*

Ventifices vos jure vocat plebs cuncta, novoque

Nomine vos homines jure laceffo novos.



Res nova! dum vestes Boreisque, Notisque patentes  
 Fertis, ubi summo frigore terret hyems.  
 Dum reliqui frigent, vos semper in urbe caletis,  
 Forsan hyemalem vult calor iste togam.

*In hominem effaminatum.*

Hactenus hædus eras, Cyprios qui diligis ignes,  
 Impurosque thoros, Idaliásque faces.  
 Si bos esse cupis, reprobam tibi junge maritam,  
 Si mala sit conjux, cornua certa feres.  
 Junge tibi socios, & habebimus inde chymæras,  
 Hædibovésque viros, Hædivirósque boves.

*In Plebem.*

Omnem credo locum rapidis constare Poëtis,  
 Námque locus mendax quilibet esse solet,

*In faminam impudicam.*

Hinc fuge: namquid adhuc habitas hæc mænia, crimen!  
 Debet ad hædigeros Cypria capra greges.

*In maritum coclitem.*

Quid miser invigilas, tua nè lux altera vitæ  
 Intactum violet chara marita torum.  
 Quamvis centoculum custodem feceris Argum,  
 Ní bona sit mulier, plùs vigilare nocet.  
 Si rapitur conjux, quæ lux est altera vitæ,  
 Lumine tunc pauper cocles utróque cares.

*In vetulam, quæ vestes jam depositas, & leporum  
 pelles sibi vendi proclamat.*

Si quis depositos servet pileósve, togásve,  
 Venales faciat stridula clamat anus.  
 Tot leporum pelles, mulier si garrula quæris,  
 Dic, tua cur adeò displicet ipsa cutis?  
 Ut putò, tot pelles forsán tibi tegmina præstant,  
 Nè plebs cuncta senem te putet esse lupam.

*In faminas portatrices.*

Vos equidem doleo tam dura mole gravatas,  
 Sicut ad altricem portat asella molam.

Sed rogo, nè nostrum tentetis ferre libellum,  
 Urbem cum summo cæsare nemo feret.

*In feminas, quæ calceos solitò altiores portant.*  
 Vos pariter mecum nunc arbitror esse Poëtas,  
 Pes quoniam longum semper acumen amat.

*In illos, qui caminos purgant.*  
 Hæc tam tetra cohors nigros regit arte caminos,  
 Furnus ut officium possit obire prius,  
 Quando caput nigrum terrentia cornua ferret,  
 A styge vos genitos tota putaret humus.

*De vigilibus nocturnis.*

Aucupis emeritum vobis do carmine nomen,  
 Præ reliquis titulus competit iste magis.  
 Eubones capitis cœcæ sub tempore noctis,  
 Aucupis hinc vobis nomen inesse scio.

NB. *Nebulones nocturni capiuntur à vigilibus.*

*In garritores indoctos, & ventosos rerum narratores.*  
 Si nihil est aliquid, velut experiuntur egeni,  
 Narratis toties undique grande nihil.

*In Aurigam stupidum.*

Philosophum certè, bardum te! nemo vocabit,  
 Nam stupidos inter pars es opima greges.  
 Grammaticus forsan meliori jure vocaris,  
 Appendix tersum nam facit una caput.

NB. *Aurigis consuetum est portare bursas capillitias.*

*De portatoribus mortuorum ad tumulum.*

Quidquid habet mundus, Lachesis furor improbus auferet,  
 Cum pastore pigros mors vorat ipsa greges.  
 Ast quia vos longos morti servitis in annos,  
 Hinc puto, quòd servos vix voret illa suos.  
 Nam caret imperiò, servos si devorat omnes,  
 Mors dominans famulis indiget ergò suis.

*Ad Virginem Viennensem.*

Tu bona dotavit numis fortuna sat amplis,  
 Et tibi sunt flavi viscera multa soli.

*In eandem.*

Vaticinor vobis cælum, sedémque Tonantis,  
Nam venit ad superos simplicitatis amans.

NB. *Beati sunt simplices quoniam ipsorum est regnum caelorum.*

*De schola cujusdam ludimagistri.*

Janua mota nimis clamoso cardine stridet;  
Fors erit à nimia garrulitate loquax.

*De eadem.*

Hic intrare canis nuper cum pube recusat,  
Fors virgîs plenam sciverat esse scholam.

*In Tyronem pigrum.*

Es genus auritum, qui tot jam discis in annos  
Et tot eges caligis, quod tua Mater ait.

NB. *Pigri luunt virgis.*

*In conjuges senes semper litigiosos.*

Rancida litigijs mordet plerùmque senectus,  
Et gliscunt bellis jurgia sæpe novis.

Unicus est mensis, toto quem vivitis anno,  
Nam rigidus semper *Martius* esse solet.

**De laude nationum præcipuarum  
Viennæ morantium.**

*Authoris opinio.*

Quælibet innumeras meruit sibi natio laudes,  
Cunctâque laudatu digna putatur humus.

Ipsæ palatina vates ego gente creatus,  
Stemmata semper amo, qualiacunque forent.

Si tamen in cunctas facienda sit optio laudes,  
Jure *Palatinus* gratior esset honos.

NB. *Palatinus est, qui in aula habitat.*

*De laude Austriacorum.*

Austria me docuit primos conscribere versus,

Austria primævæ fons mihi laudis erat.

Quòd mihi nunc saltem laus parva sit, Austria fecit,

Austriacis laudes debeo jure meas.

Qui tibi nunc procus est, aut lusu singula perdit,  
 Aut vigil ad Bacchi pocula mergit opes.  
 Si tibi divitiæ sunt curæ, quæso deinceps  
 Hunc fuge : *thesaurum nam rapit ille tuum.*

*In impudicum.*

Cur toties violas thalamos, scelerate! pudicos,  
 Cur Veneris tacito semper ab igne cales.  
 Nescio, quô posthac reprobum te nomine dicam,  
 Fur dici posses, qui bona tanta rapis.  
 Sed quia thesaurum fur posset reddere, *furtum*  
 Non facis, hunc ipsum reddere quando nequis.

*In ruffum mendacem.*

Quot voces loqueris, nova tot mendacia fingis,  
 Inde puto crines erubuisse tuos.

*Ad nautam advenam, qui ingentem palum terra  
 infigit, ut navem firmare possit.*

Quæso, quid hunc palum defigis ad usque profundum,  
 Antipodis posses lædere fortè pedes.

*In quemdam stolidum & bardum, qui in officina  
 tonsoria se ornari curat.*

Dimidiò rasum caput iste requirit, & optat,  
 Jam scio : dimidium sic habet ille caput.

*In bibulum quemdam doctorem, & assiduo in  
 popinis harentem.*

Quomodò doctorem dici te posse putabo?  
 Grammaticæ leges discere quando nequis!  
 Nam bibis assiduò sitibundus in arte Magister,  
 Sic malè *declinas* tempus in omne scyphos.

*In eundem.*

Te modò Philosophum meliori jure vocabo,  
 Nam nihil ac *vacuum* sedulus ore probas.

*In Plebem nullis artibus excultam.*

Quando boves cunctos paganus junget aratro,  
 Gredo domi plebem vix remanere rudem.

## De eadem.

Aufriacos alijs fert fama præire talentis,  
 Plango palatinas me genuisse plagas.  
 Lætior in toto vates non viveret orbe,  
 Aufriadum nobis quando talenta forent.  
 NB. Talenta etiam thesauros significant.

## De eadem.

Laus est Aufriadum, quòd vinum nobile crescat,  
 Hæc laus Aufriadum, dicite, nõnne sapit?

## De eadem.

Fama dat Aufriacos placidas adamare lagenas;  
 Ut populus veteri fingit ubique joco.  
 Diligit Aufriacus solas sine vite lagenas,  
 Extera plùs vinum gens quia semper amat.

## De laude Tyrolensium.

Tyrolenses Vienna ad magnos honores promoventur.  
 Jure giganteos facit isthæc natio passus,  
 Atque capit magnum semper in urbe decus.  
 Quomodò mirabor, quod summos scandat honores,  
 Námque Tyrolenses scandere saxa docent.

## De eadem Tyrolensium laude.

Ingenium felix generat fræcunda Tyrolis,  
 Et cerebro partus fertiliore creat.  
 Rupibus hæc tellus tot in altum surgit acutis,  
 Civibus unde suis semper acumen habet.  
 Tyrolis aut modicum, aut nullum parit frumentum.  
 Non parit altrices tellus hæc inclyta spicas,  
 Triptolemsique negat vasta Tyrolis opes.  
 Non generat populum fruges consumere natum,  
 Hinc Cereris fruges saxea terra negat.

## De eadem.

Aureus est meritò, quemcunque beata Tyrolis,  
 Parturit, & felix hoc genus omen habet.  
 Cur homo progenitus pariter non aureus esset,  
 Aurea testæ parens quando Tyrolis habet.

NB. Aniponti aureum est sectulum.

## De laude Bavarorum.

Austriacis toties Bojorum provida tellus  
 Spicigeræ mittit munera grata Deæ.  
 Ast Bavaris lætum dat fertilis Austria Bacchum,  
 Alternâtque suas utraque semper opes,  
 Hinc Bavaram meritò felix amat Austria gentem,  
 Nempe dat ista Deum, reddit & illa Deam.

*Correctio prioris Epigrammatis.*

*Ob nuptias serenissimi Electoris Bavariæ cum Archi-  
 duce Austriacæ.*

Parce Palatino, qui fatur talia, vati:  
 Nam dedit illa Deum, reddidit ista Deam.

*De Bavarorum Solertia.*

Cur Bavaros miror Musis, & Pallade claros,  
 Cur celebres studiis, ingenioque graves?  
 Nam quia contiguus Danubius alluit undis,  
 Ad mare sic asinos mittere jure potest.

*In invidos, & osos Bavarorum.*

Si parit, ut dicunt Bojorum patria porcos,  
 Osoi stabulum sic habet illa suo.

*In eosdem.*

Livide! vix credo, quòd Bojos oderis omnes:  
 Excipe nam crebrum reg la cuncta facit.  
 Et quamvis fugias Bavaros, cerevisia saltem  
 Plus tibi præ Bojis, dic mihi, nonne sapit?

*De laude Batavorum.*

Esse quis in vobis cerebrum miretur acutum?  
 Ad varias salpam mittitis inde plagas.

*Ad Batavos.*

Innumeros generat ditissima Patria pisces,  
 Exterus hinc, Batavos cur veneretur, habet.  
 Quòd vobis liceat mentiri jure, probabo:  
 Tot pisces inter pars quia multa putret.

NB. Pisces putridi recepto axiomatico notant mendacia.

## Ad eosdem.

Hinc ego sum Batavus, licitè quia fingere possum,  
Eftis & Aonii vos quoque turba gregis.

## De Laude Styrorum.

Quis volet hostiles in Styros cudere technas,  
Mars etenim vestris nascitur ipse plagis.

NB. In Styria ferri viscera fodiuntur.

## De eadem.

Styria sit toti quamvis gratissima mundo,  
Laurigeris tamen est gratior illa viris.  
Nam vocat ad crebros hilari certamine saltus,  
Atque facit tardos sæpe salire pedes.  
Quando pedes salient, carmen non fiet hiulcum,  
Jucundaque simul sudat in arte caput.

NB. Saltus Styriaci Poëtis caput & pedes non raro excitant.

## De Laude gallorum ob persecutionem hæreticorum.

Ut fertur: Gallus terret clamore Leonem.

Si facit id Gallus, Gallia jure placet.

NB. Hollandia, Mater hæresium suo insigni leonem habet.

Laus à præstantia, & affabilitate linguæ.

## Ad Tyrones.

Regales plerumque domos hæc lingua subintrat,  
Et placet ambrosiis Gallica lingua sonis.

Disce dein linguam Gallorum disce juventus,

Id cave, nostratem mutet ut illa togam.

Petrus enim Christum sub galli voce negavit.

Tu te Germanum veste, togaque negas.

## De Laude Silesiorum.

Dicitur insignes generare Silesia vates

Ut rumor populi, famaque prisca canit.

Siquis mendacem te fortè, Silesie! dicet,

Responde: vates patria nostra parit.

## Ad Silesios.

Si stolidos, veluti dat fama, voratis asellos,  
Nulla care vestris est asinina plagis.

Rusticus hinc vester doctos præit arte Magistros,  
Arcadium solo nam fugat ore pecus.

### De Laude Hungarorum.

*Hungaria à nobilitate est insignis.*

Nobilitas stirpis non est laus parva vetustæ,  
Ceraque majorum stemma senile probat.  
Nobilis hæc tellus tot avorum signa recenset,  
Ut superet varias nobilitate plagas.

Miror, si juvenes vestris moriantur in oris,  
Nam vos antiquos plurima cera facit.

*Hungaria sæpe à turcis impiè invaditur.*

Hungarus æthereas poterit deponere sedes,  
Nam propter Christum debet amara pati.

### De fertilitate Hungariæ.

*Laus à Litteris.*

Qui sapit, Hungaricas renuet contemnere Musas,  
Nam regno fructus uberiore legunt.

*Ob insignem agrorum fertilitatem copiosè à Suevis  
habitatur.*

Possibiles forsan vult tellus vestra chymæras,  
Hungarico - Suevos nam capit illa greges.

### De Laude Bohemorum.

Quis non obstupeat? dum mira lege silendi

Attonitas orbis redditis usque plagas.

Non opus est verbis, nam vestra silentia Mundum

Undique prodigiis jam rapuere suis.

NB. Ex Bohemorum natione S. Nepomucenus est.

*Laus à Litterarum præstantia.*

Quælibet ex sacris gerit instrumenta Camænis,

Nam gerit ista tubam, dum gerit illa chelyn.

Nil igitur mirum celebres vos esse Camænis,

Nam tuba vos claros efficit, atque chelys.

NB. Bohemi cæteris nationibus, tuba & chely longè  
præcellunt.



*Ad studiosum Bohemum sub potestate caesaris  
wancipatum.*

In tenebris hæres, sortem nisi sorte mereris,  
Námque potest solum te decorare caput.

### De Laude Suevorum.

Concelebrat Suevos sincerus pectore candor,  
Et germana fides, & socialis amor.

Fraus, dolus, impietas è vestris exulat oris,  
Vulpéque fallaci suevia tota caret.

O utinam tales orbis daret undique gentes,  
Undique Germanos tota videret humus.

NB. *Germanus veteri acceptione sinceritatem significat.*

*Correctio prioris Epigrammatis.*

Quid loquor? an rigidam populis precor undique sortē?

Undique dum suevos opto, volóque meros.

Frigoribus tremere hyemali tempore gentes,

*Vulpina* quoniam pelle careret humus.

*Ad Suevos rurícolas.*

Stemmata judæo partu descendimus omnes,

Primus & est nobis fons duodena tribus.

Vos ego progenitos credo de stemmate Jacob,

Nam tot jacobulos suevia tota parit.

NB. *Suevi rurícola filios suos Jäckl in baptismo vocant  
amant.*

### De Laude Brandeburgorum.

*Quorum dux proceræ statura homines insigni pecuniarum  
copiâ donatos in milites legit.*

Parcite, dum longas vobis non affero laudes,

Longa penes vestrum laus manet ipsa Ducem,

Si mihi procerum corpus natura dedisset,

Forsan ego vobis laus quoque longa forem.

*De Laude Carniolorum.*

Quis neget ingenuum posthæc hunc esse Ducatum;

*Jugenum* patriis nam parit acre plagis.

## De Laude Anglorum.

Vos orbem meritis completis honoribus, *Angli!*  
Littera sed vobis unica sola deest.

*Ad eosdem.*

*Anglicus* est vobis pannus; sed lugeo fatum,  
*Angelicus* vobis dum neque panis adest.

## De Laude Helvetiorum.

Helvetios Marti Sacrat generosa propago:  
Gens fata Bellonæ castra cruenta sequi.  
Dixissem plures tibi tellus Helveta laudes,  
Sed tua lingua mihi turbat in arte caput.

## De laude Polonorum.

Dum tuba vestra sonat, tardus pede subfilit ursus,  
Et stolidi gyrum dexteritate trahit.  
Orpheus alter adhuc sic vivit in orbe Polonus;  
Námque potest ipsas flectere voce feras.

NE. *Ad cantum orphei animantia exilisse narrat fabula.*

## De laude Palatinorum.

Stirpe *palatinos* totus quia suspicit orbis,  
Jure Palatinum carmine laudo gregem.  
Námque *palatinis* si Cæsaris aula careret  
Deficeret magnis Cæsaris aula viris.

NE. *Palatini etiam vocantur Comites ad Rhenum.*

## De eadem.

Ergo Palatinis longævos apprecor annos.  
Nam mihi longævos sic precor ipse dies.

## De laude Itatorum.

Hoc scio, quòd tellus Italorum Janua cæli  
Dicatur; claves nam gerit illa poli.

*Excusatio poëtæ ad cæteras nationes, quarum laudes  
non attexuit.*

Parcite dum vestras amissi carmine laudes;  
Amiffas doleo: nec reperire scio.

## In potatores consuetudinarios.

Non ego mirabor, quòd semper ut antè bibatis,  
Nemo vult artis nescius esse suæ.

*In eosdem.*

Cur ego vos culpem? longam potare salutem  
Vultis, an ergò mali quid foret ipsa salus?  
Ominor inde tamen, tractu quia semper in uno  
Ebibitis: brevior sic erit ipsa salus.

*In doctorem medicinae artis suae ignorantem.*

Sis licet ignarus, doctus mihi jure videris,  
Namque doces hominum millia multa mori:

*In Carinthum strumosum Viennae degentem.*

Res agitata scholis, & lis est crebra sophorum,  
Quomodo monstruosus partus in orbe detur,  
Unde tamen veniat tua struma requiris; & audi:  
Illa Carinthiacis huc venit usque plagis.

*In hominem semper rixosum.*

Nil tibi quam rixas animò sedet addere rixis,  
Ut puto, de Cadmi semine natus eris.

*De sene capulari.*

Repe senex! celeri semper pede diffugit aetas;  
Currere, quod repit, labilis hora facit.

*In stolidum aliquem aurigam Italum cum curru ex  
duabus rotis.*

Quod trahit est quadrupes, sed quale sit, addere nolo,  
Ait solet ipse duas currus habere rotas.

Sat bene: quadrupedi sic par fit currus, homòque:  
Nam faciunt quatuor currus, homòque pedes.

*In quamdam senem juveniliter comptam.*

Perge senex: comptis juvenem mentire capillis,  
Nam stat prima tuis jam tibi barba genis.

Scimus enim, senibus tenuis quòd barba Matronis  
Crescat, & hinc juvenem te bene fingis, anus!

*In quemdam studiosum, qui absolutis casibus uxorem duxit.*

Tu quia tam varios didicisti solvere casus,  
Si potes, hunc etiam solve, marite! tuum.

*In eundem.*

Quando pater fies, & ages cunabula prolis,  
Sat doctam Casus te facit iste nurum.

*In studiosum qui Philosophia valedixit, ut famulum  
agere possit.*

Cœpisti primas rerum cognoscere causas,  
Nunc famuli debes tristia fata pati,  
Ast nego te famulum, sed factum dico Poëtam,  
Exerces etenim tempus in omne pedes.

NB. *Famulorum est semper currere.*

*De pistoriis, qui tempore quadragesimæ spiras venales  
fistulando indicant.*

Fistula tristè canit, cum vultis vendere spiras,  
Fortè vocat stridens fistula vestra famem,  
Id tamen admiror cum nil de pane superstat,  
Vestra dein vobis est satiata fames.

*In instructorem nihil scientem.*

Debit instructor fieri, quem Jupiter odit,  
Inquis: at ignavum te neque Pallas amat.  
Quòd mera discipulos doceas adverbia, credo:  
Námque doces hodie, sicut & antè, nihil.

NB. *Ultimus versus plerisque constat adverbis.*

*In instructores perpetuos.*

Respicimus fines non significata frequenter,  
Sic nos Grammaticæ regula prisca docet.  
Vos non respicitis fines, sed dona frequenter,  
Grammaticæ leges vertitis ergò dein.

*In instructorem vitiosum.*

Mille juventuti dudum præcepta dedisti,  
Ast tyro, qui te non corrigis ipse, manes.

*In instructorem maritum, qui pecuniam Menstruana  
lusu perdit.*

Cum numos perdis, te sæviùs exprobrat uxor,  
Et vitium lusûs corripit illa tui.  
Saltem, cum venies instructum, plenus es artis:  
Nam leges conjux te docet antè bonas.

*In correpetitorem Philosophia, qui tantum Rhetoricam  
absolvit.*

Aureus est merces, quam correpetendo mereris,  
Aureus à quovis nam tibi mense datur. Cum

Cùm Physicam repetes , aurum factare docebis ,  
 Illud enim quovis tu tibi mense facis.

*In instructorem , qui occupationes sui discipuli ab  
 alio instructore sibi fieri rogat.*

Dum frigent homines , capiti bona tegmina , curant ,  
 Atque suas aures vulpe , mitræve tegunt.

Ars tua frigescit , friget cerebrumque , caputque ;  
 Auribus hinc longis tegmen habere cupis.

*In instructorem jam decrepitum.*

Instrue Grammaticos , quod certè nemo vetabit ,  
 Falleris , Aonium si petis arte gregem.

Námque Poëta ligat ; Tu semper currere debes ,  
 Pro te quære bonos cautiùs ergò pedes.

*In eundem.*

Sæpe metaphoricæ fecisti carmine voces ,  
 Jámq; metaphoricos vivis , amice ! dies.

Nam quia Cygneas imitaris vertice plumas ,  
*Improprie transfert jam tibi vita comas.*

*In uxores Judaicas.*

Bellua censetur , qui Sacramenta recusat ,  
 Nec Baptisma capit , Christiadúmque fidem.

Miror ego vobis horrore cedere porcos ,  
 Nam scio , dum paritis , vos generare suos.

*In puellas Judaicas.*

Dæmone progigni Messias vester ab ipso  
 Dicitur , & stygio de patre luce frui.

Pergite tam charum vobis promittere partum ,  
 Fit Dea , Messiaë quæ sua mater erit.

Omnis enim conjux sortitur stemma mariti ;  
 Fit Dea , námque Deus Pluto maritus erit.

*In Parasitos.*

Dicite , quis locus est ? quo nunc habitare soletis ,  
 Ut puto , vos homines estis ubique domi.

*In eosdem.*

Omnis amat propriam , si plena sit illa , culinam :  
 Ast vobis nunquam vestra culina placet.

*In Poëtam Parasitum.*

Debebunt suavi decurrere flumine versus,  
Nam vario toties ex Helicone bibis,

*De bubulco Monialium ad S. Laurentium.*

Nil præter vaccas pascis, taurumque bicornem,  
Pascendi facerent tædia fortè boves.  
Id tibi dico: bouum, quæso, nè suscipe curam,  
Porta tuis gregibus vix satis ampla foret.

*In Aurigam stabularium.*

Te servum dicis, dominus mihi jure vocaris,  
Imperium stabuli tu quia semper habes.

*In Aurigam eclegem, & stupidum.*

Cum pice si quis agit, pix illi semper adhæret,  
Et male de stabulo, qui stabulatur, olet.  
Hinc quia dat crebras quadrupes tibi bellua curas,  
Quadrupedum mores induis, atque refers.  
Caligulæ si forsitan equus fit consul in urbe,  
Quadrupedis currum consulis ipse trahes.  
Nam similis simili gaudet, par vita secundat,  
Bellua te servum posceret esse suum.

*In Poëtam Claudum.*

Perge ligatas jungere voces, chare Poëta!  
Nam te pentametron pes tuus ipse docet.  
NB. *Primus Versus claudorum gressus imitatur.*

*In maritam loquatam cujusdam absoluti Philosophi.*

Garrula, clamatrix, temeraria, mobilis, audax,  
Ridet, amat, loquitur, præcipitatur, ovat.  
Plura loqui timeo, vitium quia sæmina condit,  
Philosopham metuo; Singula quippe negat.

*In domum aliquam obscenam.*

Mirror ego cytisos hic nullo germine fundi,  
Mirror, dum frondes non parit ista domus.  
Nam patitur fieri stabulum locus iste caprinum,  
Hædus ubi crebrè pabula spurcus habet.

*In faminam, quæ canem suum rebus omnibus  
anteponit.*

Nil hyemem metuas, mulier! gelidúmve Decembrem,  
Nil oberit sævis frigida bruma minis.  
Experieris enim rapidos sine fine calores,  
Nam tibi quæque dies *Canicularis* erit.

*Excusatio Poëtae, quòd licentiâ metri in priori  
Epigrammate utatur.*

Quando *Canis* - nimis ardet amor, flagrátque - *cularis*,  
Ut flammam tollam, frigida metra fero.

*In faminam, quæ ex picturis spectacula decantat.*  
Stas mulier, baculúmque tenens spectacula cantas,  
Unde canis, nigris est tibi charta notis.  
Mentiris toties, cur ergò charta nigrescit?  
*Rubricis* potiùs tota notanda foret.

**NB.** *Mendacia ruborem causant.*

*Ad Gadopagum levis nota hominem.*

Sunt tibi ter septem juvenes, plurésque docendi,  
Quos modò præceptis, ingenióque colis.  
O minor ex istis saltem bene discere septem,  
Qui tibi solamen, lætitiámque parant.  
Hos igitur *septem Sapientes* dicere posses,  
*Octavus Sapiens* tu reputandus eris.

**NB.** *Quis octavus sit Sapiens, orbis ignorat.*

*In feminam turpem, quæ faciem sibi tingit.*  
Turpis es, & tincta facie sat compta superbis,  
Deformisque tibi forma, colórque placet.  
Ut puto, perpetuò tu Bacchanalia vivis,  
Semper enim vultu stat tibi larva tuo.

*In moribundum ob gulam Bacchanalisticam.*  
Læta celebrásti tria festa dicata Lyæo,  
Mortis es infelix tu faber ipse tuæ.  
Nempe dies Cinerum post Bacchanalia venit,  
Dum moriêre, cinis conteget ergò caput.

*In claudum, hominem sceleratum.*

Claude! nisi cessas vitam renovare scelestam,  
 Progredieris recto sub stygis antra pede.

*Ad mendicabulum.*

Dum tibi nulla domus, vadis, mendice domatim,  
 Sic potes ex nulla vivere quippe domo.

*Excusatio Poëta, quòd in priori Epigrammate barbarismum adhibeat.*

Barbara vox odium peperit tibi, lector amice!  
 Vox quoque mendici tædia fortè parit.

*In hominem indoctum.*

Annua deponunt celeres sua cornua cervi,  
 Deponitque suam vipera sæva cutem.  
 Ast manet una cutis, pellisque pigerrima tecum,  
 Nil alicui pellem linquere moris habent.

*De lineis extra Suburbia.*

Urbs negat hostili turbare suburbia Marti,  
 Sanguineisque locat plurima valla minis.  
 Aut quia cornutos homines putat esse trecentos,  
 Qui sua pro bobus ferre tributa negant.  
 En, cornute! tibi nunc urbs sua claustra reponit,  
 Pro bove bos igitur pende tributa jovi.

*Ad Zoilum.*

Sunt duo, quæ metuo, nè fias Zoile! nempe  
 Nè fias vermis Zoile! nève canis.

Si canis: infontes tentabis rodere versus,  
 Si vermis: tinea carmina more voras.

Te potius fieri vermem, tineamve precabor,  
 Ut te vermis edax non mea metra voras.

NB. Qui omnia reprehendunt, sibi magis quàm aliis  
 verminant.

*In Zoilum, qui authorem incusat, quòd toties scribas  
 in bibulos.*

Miraris, toties dum carmine culpo bibulos,  
 Pocula dum nostris occino crebra lyris.



Si scribam quæ falsa, mihi quis Zoile credet?  
 Si cano, quæ fuerint vera, nec illa licent,  
 Nil igitur superest, quia scribere pauca licebat,  
 Quod licuit, docto carmine sæpe cano.  
 Sed quia cùm prandes, tu dulcia pocula misces,  
 Sic saltem mores Zoile! carpo tuos.

*In eundem.*

Ast quoque te laudo, qui me contemnere quæris;  
 Mos quia Pegaseis convenit iste viris.  
 Zoile sed memora, qua laudent mente Poëtæ;  
 Has, puto, mendaces dixeris esse lyras.

*In Zoilum Authore juniorem.*

Si mihi nunc liceat venturos dicere casus,  
 Quid tibi vaticiner Zoile, quæso cape,  
 Esse senex cupies, & longos ducere soles,  
 Væ tibi! nam juvenis tu morieris adhuc.  
 Carpere nû cessas, sic nunquam dente carebis,  
 Zoile! crede mihi non eris ergò senex.  
 NB. *Alta senectus dente caret.*

*Excusatio Poëtæ ad Zoilum.*

Zoile! quid nimio carmen juvenile cachinno  
 Ludis? adhuc teneros vivo Poëta dies,  
 Fortè senex discam meliores jungere versus,  
 Quippe senex plures debet habere pedes.

F I N I S.

---

Errata prudens Lector corriget.

